MANVALE PECCATORVM,

SIVE

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBVS

Orationes Catecheticæ duodecim.

Authore THOMA STAPLETONIO S. Theo. Doct. & in Academia Louaniensi SS. Scrip. Profe. Regio.

Eccli. 21. 2.

Quasi à facie colubri fuge peccata: Si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.

LVGDVNI,

APVD HORATIVM CARDON.

CIↃ. IↃ. XCIX.

NOBILI, ET GENEROSO VIRO D. GVLIELMO AB ASSONLEVILLA D. De Bouchant,

Thomas Stepletonius veram fælicitatem precatur.

CVM propter admirabilem illam tuam φιλομάθειαν, omnibus qui te norunt notiſsimam, (Nobilis & generoſe Domine) amica quadam curioſitate, nuper quum apud nos hîc eſſes, ad publicum Ciuitatis huius feſtum cum amicis peragendum, à me inquiereres, ecquid

haberem, vel iam in prælo ad proximas nundinas emittendum, vel alioqui adhuc ſub incude prælo dandum: & ego reſpondiſſem, propter affli-ctam illa tota ferè æſtate valetudinem meam, nihil me tunc nouum procudere, ſed vetera recenſere, & de quibuſdam orationibus Academicis olim habitis in lucem edendis me cogitare: móxque obiter mentionem inieciſſem Catecheticarum quarundam, ſeu orationum, ſeu lectionum mearum (orans quippe omniáque ex memoria recitans ea tradideram) de ſeptem peccatis capitalibus, quatuor Duaci (Catechiſtes quum eſſem) pronunciaueram, magnopere earum inſpectionem & lectionem à me

flagi

flagitabas. Quam tali ac tanto amico quum negare non possem, eas domi tuæ lectas atque perlectas, post aliquod tempus ad me remittens, multis verbis significasti (tuo sanè iudicio) non secus istas prælo dignas videri, quàm alias illas miscellaneas & celebriores, quarum tibi argumenta percensui. Aiebas enim, vtcunque de istis peccatis in Promptuario nostro Morali multa vberiùs tractarentur, & quidem horum plæraque in illud armarium congesta à me postmodum fuissent, (nam & hoc me obiecisse recordor, quo minus istas Catecheses luce dignas censerem) certas tibi tamen causas iustas videri, cur hæ nihilominus seorsim ederen-

1. tur. Hic quippe de ſingulis i-
ſtis peccatis (cæterorum fonti-
bus) vno veluti intuitu omnia
ab oculos poni, quæ ad ſingu-
lorum vel naturas, vel partes,
vel noxas & maculas proprias,
vel remedia pertinerent: tum
2. grata quadam breuitate no-
tari potiùs omnia, quàm pro-
3. lixè dilatari. Deinde ad cuiuſ-
libet lectoris captum (ſicut &
auditoribus illis Academicis ad
moralem inſtitutionem con-
fluentibus conueniebat,) per-
ſpicuè & ordine omnia tracta-
4. ri: Denique ex ſolis aut diui-
narum Scripturarum, aut SS.
Patrum puriſſimis fluentis om-
5. nia deriuari. Tandem has ora-
tiones ita ſeorſim editas modi-
co poſſe volumine compre-
hendi, & ad quotidianos vſus

(in

(in iſta quippe aut horum aliqua humanæ fragilitatis quotidianus pene lapſus eſt) veluti peccatorum (quales omnes ſumus) *Manuale* quoddam ad manum ſemper habendum circunferri poſſe. Quum aliud illud Opus nec ita ſigillatim ſingula diſcutiat (quod ſic morale eſt vt doctrinæ partes non attingat) & fuſius omnia ſine methodo conuoluens, ad Concionatorum propriè vſum faciat, qui prolixè & copioſè diſſerere auet; & denique multa ex profanis intermiſceat; ac tandem prolixum & duplex volumen ſit, quod non facilè circumferas. Ego verò etſi hiſce cauſis à te prolatis non per omnia manus darem, faciléque aduerterem quid contrà obiici

poſſet, nolui tamen cum amico contendere. Imò tantum amicitiæ huic noſtræ dedi, vt totum opus diligenter relectum, in mundum redactum, & cenſuræ ſubiectum, ad te nunc mittam, etiam in publicam lucem (ſi ita tibi videtur) euolaturum, planéque titulo gaudeat, quo ipſum tute donaſti, vt *Manuale peccatorum* appelletur.

Quanquam non amicitiæ tantùm noſtræ vtcunque ab aliquot iam annis confirmatæ, hoc dari lector exiſtimet. Virtutibus profectò tuis & præclaris ingenij dotibus, fœlici memoriæ, præſtanti iudicio, in authorum delectu ſagaci induſtriæ, pietate ſingulari, planéque religioſæ, ac denique

ſtudio literario indefatigabili, hoc qualecũque officiũ meum prorſus debetur. Miraculum penè naturæ in te video, qui à primis infantiæ annis (acerbo fortuitóque caſu) oculorum quandam debilitatem paſſus, vnde legendi facultas tibi negata fuerit; ita tamen in optimis ſtudiis atque virorum doctorum conſortio ætatem triueris, vt primis diſciplinarum elementis celeriter arreptis, totóque curſu Philoſophico fæliciter peracto, in eóque ſupremam lauream adeptus, vaſtiſſima vtriuſque Iuris ſpatia ingredi auſus, Licentiæ etiam in eo gradum non ſine omnium admiratione & laude aſſequutus fueris: Academicas porrò Orationes Arbitrarias in totius

Academiæ confluxu perorauceris: Maximus denique & perpetuus quidam (vt vno verbo dicam) librorum ſelectiſſimorum helluo fueris. Quæ certè omnia in illo naturæ defectu talia ſunt, vt Iſocraticum illud in te vno veluti memorabili & raro exemplo completum videam: ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. Illa quippe tua φιλομάθεια pene inexplebilis hanc in te peperit πολυμάθειαν vix credibilem. Accipe igitur, vt huic tuo deſiderio ſatisfiat, *Manuale iſtud peccatorum*, nõ meum ſed tuum, cui ſi non parens, at proxeneta fuiſti. Aliquod amicitiæ noſtræ teſtimoniũ publicum hoc modo ſupereſſe poſſe & tibi gaudeo & mihi gratulor. Optimo & Ampliſſimo parenti tuo An-

tidota noſtra euangelica nuper conſecrauimus. Hoc eius in me ampliſſimis meritis debebatur. Non debuit ſine aliquo τῆς φιλίας καὶ συνηθείας ἡμῶν μνημοσύνῳ filius præteriri. Hoc mutua & vetus amicitia noſtra poſtulabat. Vtere igitur, ac fruere, & quo cætera noſtra ſoles, intimo beneuolentiæ ſinu complectere. Vale. Louanij. Nouembris 15. Anno 1596.

Orationum Catecheticarum Elenchus.

MANVA

MANVALE PECCATORVM,

SIVE

DE SEPTEM CAPITALIBVS PECCATIS ORATIONES Catecheticæ duodecim.

Oratio prima, de Peccato in genere.

QVOD Ægyptius quidam Sacerdos, Solon nomine (vt Plato in Timæo commemorat) Græcis hominibus obiectare & exprobrare solebat, dicens: *Vos Græci semper pueri estis, senex autem inter vos nemo*, eò quòd illi quidem grauiter, & vt viros decebat de virtute disputabant, suasque Athenas literarum omnium & totius Philosophiæ domicilium atque theatrum esse volebant; in vita támen & moribus, in doctrina quoque & disciplinis pueriliter versarentur, magna leuitate & inconstantia vterentur. Idem hodie (Auditores)

tores) dum rerum humanarum faciem in hoc Chriſtiano orbe conſidero & circunſpicio,dolens atque inuitus dicere & exclamare compellor: Nos Chriſtianos, nos,inquam,Catholiquos & orthodoxæ fidei aſſertores ſtrenuos:in vitæ tamen agendæ ratione, in moribus & diſciplina ſemper pueros eſſe, ſenem verò apud nos neminem. Puerorũ nempe eſt ſpectris & falſis rerum imaginibus terreri, apertis ſe periculis abſque metu & ſuſpicione obiicere, (laruas enim timent, ignem & aquam non timent:) ridicula quoque & futilia admirari & expetere, ſolida & ſalubria aſpernari & fugere. Idem hodie patimur plerique Chriſtiani in iis, quæ ad recti prauíque turpis & honeſti iudicium attinent:in rebus, inquam, expetendis & fugiẽdis,in quibus omnis prudentia viro digna, ſi qua in nobis eſſet, verſari deberet.Etenim calamitates, corporis morbos, cæteraſque res aduerſas, & maximè mortem ipſam, vt ſumma & ſola mala formidamus, metuimus, exhorreſcimus, & quantum in nobis eſt depellimus: nulli ſtudio,nulli labori parcentes,nullum non mouentes lapidem,ne ea nos vlla ex parte contingant. Contrà opes & honores ſiti incredibili,vt ſumma quædam bona, expetimus, ſanitatem corporis ſtudioſiſſimè tuemur:vitæ huius tempora quàm longiſſima exoptamus:In hæc omne ſtudium,laborem, conatus omnes conferimus: in iis puppim &

proram

proram fælicitatis nostræ constituimus. Et tamen nec sunt illa verò mala, aut in aduersis rebus homini Christiano ponenda: sed laruæ tantùm & species malorum, inania terriculamenta: nec hæc inter bona vlla ratione censenda sunt: sed partim malorum omnium radices & fontes, partim eorum quæ verè bona sunt, pestes, & certa pernicies. Id verò quod vnicũ & verè solum malum est, idemq́ue summum ac pestilentissimum malum, id quod omnium malorum est causa, plerique quidem nostrum (proh pudor) amplectimur, exosculamur, & in summis bonis ponimus: omnes profectò leuiter & perfunctoriè cauemus: & vt malum esse agnoscamus, ex malis tamen minimũ quoddam atque vulgare iudicamus: certè curam eius leuissimam habemus, oscitantes atque inuiti ad eius curationem nos conuertimus.

An hoc planè puerile non est, vel potiùs insanire? nempe opes atque diuitiæ huiusmodi quidam sunt, vt *qui velint diuites fieri*, ait Apostolus, *inserant se doloribus multis, & incidant in laqueum Diaboli.* 1. Tim. 6.
Honores & gloria tantum malum est, vt dicat Saluator ambitiosis illis Pharisæis: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Ioan. 5.
Corporis ista longæua valetudo tam exiguum bonum est, & mors ipsa tam nullum malum, vt Apostolus Philip. 1.

dicat,

dicat, *mihi mori lucrum*: & rurſum, *cupio*
Matth.10. *diſſolui*: apertéque Chriſtus iubeat, *non timere eos qui occidunt corpus*: imò & *hoc ſua morte egerit Saluator*, (vt ſapienter docet
In expoſit. quar. propoſitionum in Epiſt. ad Rom. Auguſtinus) *ne mors amplius timeretur*: paupertatem verò, morbos, cæteraſque huius vitæ calamitates, adeò non in malis, ſed in bonis numerauit Apoſtolus, vt eas in delitiis habuerit, atque de iis ſolis gloriari voluerit:
2. Cor.11. *Ego* (inquit) *ſi gloriari libet, in infirmitatibus meis gloriabor*: & rurſum, *Ego quum*
2. Cor.12. *infirmor, tunc potens ſum*: & in vniuerſum
2. Cor.4. ait, *quòd virtus in infirmitate perficitur: quantumque hic noſter qui foris eſt homo corrumpitur, tantùm is qui intus eſt renouatur de die in diem*. Nempe hæc ille dicebat: & ſic ſentiebat factus iam vir in Chriſto,
1. Cor. 13. qui, *quum eſſet paruulus*, id eſt, Chriſti gratiam nondum accepiſſet, *loquebatur vt paruulus, ſapiebat vt paruulus*. Et quidni viri etiam nos ſumus, quotquot iam in Chriſto baptiſati ſumus, & eius ſacramenti in quo ſolidus cibus eſt participes ſumus? Quidni & nos euacuauimus ea quæ paruulorum ſunt? Quid adhuc *in elementis huius*
Coloſſ.2. Hebr.6. *mundi decernimus, rurſum inchoationis Chriſti ſermonẽ repetentes, & rurſum iacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis?*
1. Cor.14. *Nolite*, ait Apoſtolus, *effici pueri ſenſibus: ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti.* Quid eſt autem magis puerile ſenſibus effici, quàm ita vt modò diximus erga puta-

titia hæc mundi bona ac mala affectum eſſe, illud verò malum tantum ac tam enorme, quod nos bonis omnibus priuat, infinitis malis immergit, quod noſtram omnem naturam euertit, fęlicitatem exterminat, quod ſolum & vnicum Deum à nobis ſeparat, gehennam infert, cœlo ſpoliat, iſtud, inquam, malum vel amplecti & ſtudio proſequi, vel ſaltem inter vulgaria & leuiſſima quædam mala ponere? Quid verò iſtud malum eſſe putatis, in quo ita deſipimus, & inſenſati quodammodo facti ſumus omnes? Iam omnes me tacente opinor intelligitis. Quid enim hoc aliud eſſe poteſt, quàm quod *peccatum* dicimus, mortale, inquam, atque lethiferum? An non verò vt dixi ſe res habet? peccatum ne ita vt paupertatem exhorreſcimus? peccatúmne vt morbum aut mortis periculum cauemus, declinamus, fugimus? Sic in peccati fuga, vt in conquirendis opibus, in adipiſcendis honoribus, in tuenda hac ſanitate, & vita producenda, ſtudio contendimus? At, inquis, nec perinde opus eſt. Hoc eſt verò quod dixi puerile. Sic pueri omnes ſumus, ſenex autem inter nos nemo. Etenim quotuſquiſque nunc Chriſtianorum eſt, qui ſic ad peccati actum atque reatum exhorreat, vt ad pecuniæ iacturam, ad rei familiaris detrimentum, ad expetiti honoris repulſam, ad aduerſæ valetudinis acceſſum, aut his ſimilia? His ſanè malis vt occurratur, cælum ac terra miſcentur, no-

ctes atque dies curſitamus,animo & mente contendimus: Peccatum vt aut deuitetur, aut perpetratum diluatur,ne minimum quidem digitum mouemus. Quæ verò tantæ dementiæ & inſaniæ cauſa, niſi quòd non ſatis æqui rerum æſtimatores ſumus: quia bonum malum, & malum bonum dicimus: quia in virtutis & vitij diſcrimine, in recti & praui iudicio pueri ſumus? Peccati qualis ſit turpitudo, quæ enormitas, quanta pernicies,aut neſcimus, aut ſcientes, petulanter ac pueriliter negligimus. Dicturus ergo hodie (auditores) vel potiùs dicendi prouinciam auſpicaturus de peccatis, vt in poſtrema catecheſi præſtitutum eſt, nihil magis vel ad huius communis morbi medelam neceſſarium, vel ad rem ipſam quam aggredimur accommodatum duxi,quàm de peccato,quod,quale, & quantum id malum ſit,ante omnia diſſerere. Sic enim mihi ſanè perſuadeo, ſi quid demum hoc monſtri ſit, quod peccatum dicimus, clarè & dilucidè cerneremus,ſi eius turpitudinem, enormitatem, grauitatem cognitam atque perſpectam haberemus, id ſolum & vnum facilè effecturum,vt,quod monet Sapiens, *à peccato tanquam à facie colubri fugeremus*: Vt hanc de peccatis dignoſcendis ac fugiendis doctrinam & diſciplinam ambabus vlnis amplecteremur, toto pectore hauriremus, atque imis ſenſibus reponeremus, vſui nobis perpetuo futuram,quoties ad peccatum

Eccl. 21.

vel

vel allicit mundus, vel ſtimulat caro, vel ſuggerit Satan. Sola enim certè earum rerum conſideratio, quas hodie in peccati deſcriptione dicemus, ſi altiùs animis infigatur, aſſidueq́ue in memoria verſetur, facilè quemuis ab illa teterrima peccandi conſuetudine reuocabit: imò ne vnquam in huius generis peccatum incidat: aut ſi quando inciderit, quàm celerrimè inde ſe expediat & extricet, admonebit, docebit, perſuadebit. Diligẽter itaque quæſo (quod facitis) attendite, & me de re non ſolùm vtiliſſima, ſed planè ſummè neceſſaria dicere exiſtimate.

Primùm itaque quid ſit peccatum, quod mortale atque lethiferum dicemus, breui atque ſimplici definitione docebimus: Poſtea de eius multiplici grauitate & turpitudine diſputabimus. Solet in originale, mortale, & veniale diſtribui peccatum: Sed de originali non eſt hîc dicendi locus, de veniali aliàs copioſiùs diximus. Nunc dè eo quod poſt baptiſmum lethaliter perpetratur dicemus. *Peccatum* (vt ſapienter definit Auguſtinus) *eſt dictũ, factum, vel concupitũ contra æternam Dei legem.* Sed vt mortale iſtud ſit, addendum, cum, pleno voluntatis conſenſu, & auerſione à Deo. Qua ſanè in re peccati mortalis ratio conſiſtit. Tranſgrediendo enim Dei legem, vtique ſe auertit ab authore legis. Eſt autem Dei lex, *æterna voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans.* Itaque qui legẽ Dei,

In explicat. orat. Domin.

Cõtra Fauſtũ, lib. 22. cap. 27.

Auguſt. ibidem.

aut in verbo eius expressam, aut in natura rerum insinuatam, aut alioqui nobis modis ab illo positis reuelatam, violat: is peccat mortaliter. Est autem hæc Augustini definitio (quam omnes sequuntur) ex ipso Dei verbo petita. *Peccatum* enim (ait Ioannes) *iniquitas est, & omnis qui facit peccatum, facit iniquitatem*: quo in loco verbo vtitur ἀνόμιας, quod iniquitatem interpres vertit. Peccatum est ἀνόμια, id est, contra legem vel præter legem, vtique Dei legem. Sic Dauid: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Vbi autem lex non est* (ait Apostolus) *ibi præuaricatio non est: per legem autem cognitio peccati.* Et quid aliud est quod sapienter propheta dixit, *Tibi soli peccaui?* Tota enim peccati ratio est, quòd Dei æterna lex violatur. Quantum verò istud malum esse putamus, quàm graue, quam multiplex? Et vnde huius tam variæ enormitatis explicandæ initium sumam? quid primum, quid postremum dicam? hic & dicendi vim & memoriæ firmitatem desidero: Versamur enim in re quæ & plurima suo ambitu complectitur, & in singulis tamen longam orationem desideret. Sed agemus, vt possumus, quando vt volumus non licet.

1. Ioan. 3.

Psal. 118.

Rom. 7.

Psal. 50.

Est illud peccati primum atque præcipuum malum, quod istud solum, eo quod summè & solum bonũ est, nos priuat, exuit, spoliat. Quid summè bonum, nisi totius boni fons, Deus? In quo beati & fęlices sumus,

nisi

nisi in Deo? Apud Christianos Christianus loquor. Nónne hæc omnium nostrum vox est? *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam*? Et rursum, *Beatus populus cuius Dominus Deus est*. Nône libenter dicimus, *Si Deus nobiscum, quis contra nos*? Hoc profitemur, in hoc gloriamur omnes: vt iuxta Apostolum, *qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur*. Denique & hîc spes nostra, & in altera illa vita tota beatitudo nostra, quid aliud nisi Deus? Quid aliud expetimus, quàm vt Deum propitium habeamus? Clara sunt hæc. At verò quid illud demùm est, quod Deum à nobis auertit? *Peccata*, inquit, *vestra diuiserunt inter me & vos*. Et rursum, *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*. Quibus, nisi peccatoribus flagitiosis dicturus est, *Nescio vos*? *Odio enim est Deo impius & impietas eius.* Quod adeò verum est, vt nihil nisi peccatum, aut propter peccatum Deus odio habeat. Quum enim *diligat omnia quæ sunt, & nihil oderit eorum quæ fecit, odisti tamẽ omnes* (ait Dauid) *qui operantur iniquitatem: & abominatio est Domino via impij*. Quid verò Deo carere, Deum se à nobis auertere, leue aut vulgare damnum existimamus? *Ego*, inquit Chrysostomus, *mille gehennis durius & intolerabilius iudico exosum esse Christo, & audire: nescio vos. Est enim satius mille fulmina sustinere, quã vultũ illũ mansuetudinis pietatisq́; plenũ, nos tamẽ auersantẽ videre, & illos*

Psalm. 72. *Psal. 143.* *Rom. 8.* *1. Cor. 1.* *Esai. 59.* *Pasm. 6.* *Matt. 25.* *Sap. 14.* *Sap. 11.* *Psal. 5.* *Prou. 15.* *Hom. 24. in Matth.*

placidiſsimos oculos nequaquã nos aſpicere ſuſtinentes. Et profectò ſi quẽ aliquãdo Chriſti amor tetigit, ſi quis vnquam incredibilem illum Chriſti erga nos amorem cõprehenderit, facilè intelliget quàm ſit verum quod ſanctiſſimus Chryſoſtomus dixit. Si illum Dauidis ſpiritum haberemus, vt cum illo dicere poſſemus: *Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus.* Et rurſum, *Quã bonus Iſraël Deus ÿs qui recto ſunt corde.* His etiam plura indicaremus. Sed altiora iſta & ſublimiora tantiſper prætermittamus.

Pſalm. 33.
Pſalm. 72.

Si futura bona non afficiant, at ſaltem præſentia mala percellant. Omnium enim quæ hodie mundus patitur malorum, aut vnquam perpeſſus eſt, ſolum in cauſſa peccatum eſt. Quidquid in vniuerſo aſperum, triſte, & aduerſum eſt, peccati fructus eſt. Iam ab initio rerum, *terra maledicta eſt, vt tribulos & ſpinas proferat: mulier maledicta, vt in dolore pareret, vir vt in ſudore vultus ſui comederet panem ſuum.* An verò deferbuit iam, aut conſenuit poſt tot ſæcula peccati vis, aut abbreuiata eſt manus Domini? Nónne & hodie *multa flagella peccatoris?* An non & hodie *pluit ſuper peccatores laqueus ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum?* Nónne cum filiis Iacob dicere debemus, *meritò hæc patimur quia peccauimus?* Planè (quemadmodũ Apoſtolus ſcribit) *vt diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ita (eodem Apoſtolo te-

Geneſ. 2.
Pſalm. 31.
Pſalm. 10.
Gen. 42.
Rom. 8.

ſtan

ſtante) *ira & indignatio, tribulatio & angu-ſtia, in omnem animam hominis operantis ma-lum.* Et: *fiat oratio eius in peccatum, & fiat mẽ-ſa eorum coram ipſis in laqueum.* Verè enim, vt ſcripſit Sapiens, *quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non eſt ſanitas.* Illuſtre huius rei documentum eſſe poteſt vetus ille Dei populus, qui, vt Achior ad Ho lophernem cõmemorat, & tota vetus hiſto-ria demonſtrat, *quãdiu non peccarent in con-ſpectu Dei ſui, erant cum illis bona. Deus enim* (ait) *illorum odit iniquitatem, quotieſcumque autem præter ipſum Deum alterum coluerunt,* (quod omnis peccator facit) *dati ſunt in præ-dam & in gladiũ & in opprobriũ.* Et parum eſt de hominibus ſingulis & ſeorſim peccanti-bus. Ciuitates integras Sodomorum & Go-morrheorum in cineres redigens euerſione damnauit, *exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens.* Quin & vniuerſam populi ſui gentem deſeruit propter peccatum, vt abdu-ceretur captiua: Sic enim prædixit, *Si nec per hæc audieritis, diſperdam vos in gentes, & eua-ginabo poſt vos gladium meum, eritq́ʒ terra ve-ſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ.* Quod & poſtea factum eſt, primùm in decem tri-bus, poſtea & in reliquis duabus. Sed parum eſt de tota illa gente potuiſſe peccatum ad eius internecionem vſque, Dei iracundiam prouocare, etiam vniuerſum orbem potuit diluuio perdere. *Originali enim mundo non pepercit Deus, ſed octauum Noë Iuſtitiæ præ-*

Rom. 2. Pſal. 108. Eccl. 21. Iudich. 5. 2. Pet. 2. Leuit. 26. 2. Pet. 3.

conem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Quid de hoc mundo & hominibus loquimur? Ipsis Angelis peccantibus non pepercit Deus, *sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* An quicquam grauius, tristius, aut formidolosius de peccato expectatis? vix his quidquam grauius excogitari potest. Et tamen videte quid porrò peccatum fecerit: Tanta fuit peccati vis, turpitudo, grauitas, horror, deformitas, vt æterni patris æternum filium, Deum de Deo, cœlo descendere, hominem fieri, ardua etiam & tristia ferre coëgerit. Vt non aliter coram Dei iusto iudicio & expiari potuerit, quàm ipsius filij Dei morte, & sanguine. Etenim *vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, & peccata nostra ipsa pertulit in corpore suo super lignũ,* vt propterea peccantes post baptismũ dicat Apostolus, *Christum denuo crucifigere, & sanguinẽ testamenti pollutũ ducere.* Minus nunc miramur si cœlum & terra contra peccatum armantur, dicente per Moysen Deo: *Dabo vobis cœlũ desuper sicut ferreũ, & terrã æneã.* Postquam ipsum Dei filium propter peccati pœnas exoluendas pati oportuerit, mortem autem & morte quauis acerbiora perpeti: Taménne peccatum leue tibi, aut vulgare malũ videbitur? Valeat iam illa Ethnicorum hominũ vox: *Omniũ terribiliũ maximè terribilis est mors,* & dicamus quod res est, omniũ

Ibidem.

Esai. 53.
1. Pet. 2.

Hebr. 6.

Leuit. 26.

terri

terribiliũ verè maximè terribile peccatum esse: Nam ista mors quæ illis tam terribilis est visa, non nisi per peccatum est inducta.

Sed sunt quos nec Dei amor, nec vindicta, aut ira mouet, homines nescio magis miseri an stupidi: Miseros enim sanè illos si hæc intelligant, & in peccatis tamen persistunt, miseriores verò si non intelligant, quo planè fit vt persistere compellãtur. Alia itaque dispiciamus, quæ ex ipsa peccati natura & insita quadam deformitate, vt Deus nec deserat nec vindicet, ipsos peccatores necessariò semper consequuntur. Nimirum habet in se peccatum quiddam humanæ naturæ aduersum, à quo abhorreret homo ratione prę̨ditus, etiã nullo Numinis aut metu perculsus, aut amore affectus. *Qui facit peccatũ, seruus est peccati*, dixit Saluator, mãcipiũ videlicet eius libidinis quã sequitur, & captiuus tenetur in lege peccati. Vnde impium Achab *venundatum* vocat Scriptura *vt malum faceret*: nõ quòd aut fato aut vi supera ad peccatũ compulsus fuerit, sed quòd ipse sibi ex fœda peccandi consuetudine, vincula & compedes iniecerit. Sic in singulis peccatis videre licet. De auaritia dicitur, *Semita omnis auari, animas poßidentium capiũt*. De gula sic ait Apostolus, quòd *eorũ Deus sit vẽter*. De luxuria, *qui meretrici adhæret, vnũ corpus cum ea efficitur*. Quàm fœda seruitus, quã turpe vinculũ? Verè, vt Sapiẽs dixit, *Funiculis peccatorũ suorum vnusquis-*

Ioan. 8.

Prou. 1.
Philip. 3.
1. Cor. 6.

Prouer. 5.

que constringitur. Vnde ſapienter B. Auguſtinus, *Dixisti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus ipſe ſibi pœna ſit.* Iam verò quid magis naturæ humanæ aduerſum, quàm ab innata libertate, qua ad imaginem Dei creatus eſt, ad rerũ viliſſimarum mancipia captiuum trahi? Itáne verò malum hoc vulgare aut contemnendum exiſtimabimus?

Conf. ſſ. lib. 8. cap. 5.

Quid, quòd non viliſſimis tantum vitiis & flagitiis ſeruis, ſed & ipſi iurato hoſti tuo, & in tuum caput à mundi exordio armato Satanæ obſequium ſingulare præſtas? Quid enim? An neſcis quoties mortaliter peccas, toties de te diabolum eiuſque ſatellites egregiè triumphare? *Circuit ſemper vt leo rugiens, quærens quem deuoret.* Prædam nactus à triumpho temperabit? Ille, ille impius dæmon & iuratus aduerſarius noſter de nobis (auditores) in die illo iudicij tremendi tot triumphos aget: quot eo ſuadente peccata lethifera perpetrauimus. Ille nos accuſabit, ille non nobis tantum, ſed & ipſi Saluatori noſtro, propter peccata poſt baptiſmum, inſultabit. Quod tantum & tam pudendum facinus eſſe ſcribit Baſilius, *vt futuram hanc exprobrationem & inſolentem hoſtis gloriationem grauiora longè ducat, quàm ipſa gehennæ ſupplicia.* Cuius etiam rei amplam & copioſam querelam inſtituunt Auguſtinus & Cyprianus, nec aliam ob cauſam vocatur hic à Ioanne *accuſator*

1. Pet. 5.

In regul. fuſ. diſpu. ad Interrog. 2.

In ſerm. contra Iu-

fratrum,

fratrum, qui accusat nos in conspectu Dei die ac nocte. Certè egregiè hoc nomine Chrysostomus *voluntarium quendam dæmonem peccatum & spontaneam insaniam vocat.* Et sanctus Augustinus non alia ratione *vænundatos nos sub peccatis* ab Apostolo dicit, quàm quòd *vnusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Siccine ergo nostri obliti erimus, vt iuratissimo hosti nos ipsos in perpetua mancipia vendere velimus? Absit hoc à Christianis & prudentibus animis.

dæos, Paganos & Arianos.
Cap. 4.
In serm de Eleemosyna.
Apoca 2.
Homil. 28. in epist. ad Rom.
In exposit. quarundã proposit. in epist. ad Rom.

Quid hîc cætera persequor? nempe non tam te aliis trucidandum & irridendum tradis, quàm tibi ipsi violentas manus iniicis, quisquis mortaliter peccas. Homo enim *per malitiam occidit animam suam*, ait Sapiens. Et, *qui faciunt peccatum & iniquitatem, occidunt animas suas.* Quàm nefarium & turpe, hoc plus quàm parricidium? Merito clamat iterum Sapiens, *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

Sap. 16.
Tob. 12.
Eccl. 30.

Taceo hîc conscientiæ cruces, omitto Christiani nominis & societatis iacturam, nihil dico de Angelorum luctu & mœstitia, quæ omnia peccati turpitudinem post baptismum consequuntur. Aut si etiam libet de iis aliquid breuiter audire, peccatum huiusmodi est, vt aut vehementer perpetratum animum discruciet, aut si cruciatum non adferat, penitus occidat. Sanè prius illud

natura

natura ipſa agnoſcit, quæ pro magna fœlicitate duxit: *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa*: & iterum dicere potuit, *Conſcientia mille teſtes*. Sed ſacratius de hac re Spiritus
Eſa. vlt. ſanctus, *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Et piè creditur vix aliam in gehenna grauiorem pœnam fore, quàm peccatorum recordationem: Quam pulchrè de-
Sapien. 5. ſcribens Sapiens, ſic eos loquentes inducit: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Dei ignorauimus: Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Quæ quamuis futura magis ſunt, tamen & hîc initium capiunt, dicente Scri-
Eſai. 48. Prou. 28. Pſal. 13. Vide Chryſoſt. hom. 8. ad pop. Antioch. ptura: *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*: &, *non eſt pax impiis*. Et rurſum, *fugit impius nemine perſequente, iuſtus autem vt leo confidit*. Et iterum, *Contritio & infælicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt*. Quos autem hîc peccatum non cruciat, næ illi deteriore adhuc loco ſunt. Illi enim in profundo malorum ia-
Prou. 18. cent, dicente Scriptura, *Impius cùm in profundum venerit, contemnet*. Quos deſcribens
Ierem. 5. Ieremias, *percuſsiſti*, inquit, *& non doluerunt, attriuiſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam, & indurauerunt facies ſuas ſupra petras, & noluerunt reuerti*.

Quod ad Chriſtiani nominis ſocietatē & fructum peccato deperditum attinet, audia-
Rom. 13. mus Apoſtolum, *Abijciamus opera tenebra-*

rum, & induamur arma lucis: iam enim filij lucis sumus. Sed apertius Saluator: *In hoc cognoscent omnes si discipuli mei estis, cùm feceritis omnia quæ ego præcipio vobis.* De angelorum dolore Saluator dixit: *Gaudium est Angelis de vno peccatore pænitentiam agente*, quanto magis dolor erit angelis, de multis peccatoribus in peccato persistentibus? Sanè eleganter monet Basilius, singulos nostrûm Angelum custodem quodammodo à nobis peccando depellere. *Veluti fumus*, inquit, *apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit graueolens peccatum.*

Ephes. 5. *Ioan. 13.* *Lucæ 15.* *Homil. in Psal. 33*

Leuiora tibi hæc fortasse aut fabulosa videantur? Ad alia ergo veniam, quæ in vsu quotidiano posita negare non poteris. Itaque hæc habet in se peccati quædam innata turpitudo, vt etiamsi nullo eius dolore aut pudore tangaris, animum nihilominus tuum in sua sede & pace consistere non sinat, sed inde eum vi sua tanquam ex arce deiicit, & in turbas ac procellas vel inuitum & reluctantem detrudat. Etenim quodcunque tu mihi vitium nomines, hoc ab eo effici mecum fatebere: nempe (vt Augustini verbis vtar) *coarctat auaritia, distendit superbia, cōsumit inuidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confundit, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dißipat, ira perturbat, leuitas dissoluit, torpor opprimit, hypocrisis*

Meditat. cap. 4.

fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calũnia pungit. Viden' in quot te motus & perturbationum fluctus, tanquam equuleo infixũ, huc illúcque singula vitia pertrahunt atque conuellunt? Quæ hic animi integritas, quæ pax, quæ dignitas consistere potest?

Iam verò quale istud est, quod nunquam peccatum solum venit, sed vbi sedem semel in animi arce locarit, vocat ad se septẽ spiritus nequiores se, *& suo pondere in aliud trahit, nisi quamprimum pœnitentia deleatur,* ait Gregorius. Ideóque aptissimo vocabulo propheta Zacharias, *Talentum plumbi* vocat.

In Ezech. Homil. 11.
Zachar. 5.

Quid, quod si qua forte bona opera cõpatitur secum aliquod vitium, eorum certè fructum omnino euertit & meritum tollit. Nam *qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Et ideo clamat Esaias: *Cùm extenderitis manus vestras, &c. Non exaudiam vos: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Nullum nẽpe est meritum homini in mortali peccato cõstituto. Imo vt *iustis omnia cooperantur in bonum,* ita malis omnia vertuntur in malum, iuxta illud: *fiat oratio eius in peccatum, & fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.*

Iacob. 2.
Esai. 1.
Rom. 8.
Psal. 104. & 68.

Nec verò præsentia tãtum bona frustratur, sed & præterita ac præcedẽtia deuastat atque consumit. *Si enim fecerit homo omnem iustitiam* (ait Deus per prophetam) *& auersus peccauerit, non recordabor iustitiæ eius,* vt frustra vel diutissimè rectè feceris, si postea

Ezech. 18.

peccato

peccato ſemel indulſeris. Illud porrò ſingulare eſt, quod propter peccatum hoc mortale, nec leuiora illa & quotidiana peccata, eo flagrante, remiſſionem conſequi poſſunt. Qui enim iuſſit nos orare, *Dimitte nobis debita noſtra*, de leuioribus haud dubiè intelligens, conditionem adiecit, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Hoc eſt, ſi in fraterna charitate maneamus. Illam verò quot quæſo peccata violant & euertunt? Ira, inuidia, detractio, diſcordia, & his conſimilia, quorum qui reus eſt, etiam leuiſſimorum peccatorum pœnam luet. Math. 6.

Huc accedit quod peccatum difficillimè curatur, vnde Ambroſius: *facilius inueni qui ſeruauerit innocentiam, quàm qui congruè egerint pœnitentiam*. Satiſne vobis, auditores, peccati fœditatem, enormitatem, & grauitatem expreſſi? Taménne ſemper pueri erimus? vt peccati reatum ſúſque déque feramus, curam negligamus, periculum omni ſtudio & conatu, non deuitemus? Omnes planè beati eſſe cupimus. At quid hoc demùm eſt beatum eſſe? Audiamus Spiritum ſanctum: *Beatus*, inquit, *vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, &c.* quæ ſequuntur. & rurſus: *beati immaculati in via*. Fratres ſi volumus eſſe beati, obſecro, id agamus, vt ſimus immaculati. Nulla eſt fœlicitas, ſed omnis miſeria, vbi peccatum eſt. De pænit. lib. 2. c. 10. Pſal. 1. & 118.

D I X I.

De peccato Superbiæ.

Oratio Catechetica II.

QVI hactenus de peccatis docuerunt ac disputarunt (auditores) ea septem esse voluerunt capitalia, fontes atque radices cæterorum omnium. Rectè illi quidem & commodè satis ad vulgi captum, vt res alioqui vaga & numerosa, ad certum aliquem ordinem & numerum redigeretur, essétque & docendi pastoribus, & seu confitendi, seu propter alias causas discernendi peccata ipsi populo, compendium vtile, methodus apta, ratio ac via commodissima. Sed cogitanti mihi & attentiùs perpendenti peccatorum horum naturas & rationes, numquam satis placere potuit, quod quidam Sancti & doctissimi Patres, ipsa sacra Scriptura duce & authore, tradiderunt: omnia peccata quodammodo vnum peccatum esse: & quicquid peccatur, id ita ab vno quasi capite dimanare, vt illud solum capitale dici & propriè nuncupari posse videatur. Illud enim peccatum tale esse, vt & eo vno qui viciatus sit, cæteris mox omnibus peccati sordibus vitiari ac coinquinari soleat: & eo vno qui careat, idē à cæteris omnibus nullo negotio immunis persistat. Propterea quoque hoc vnum peccatum & pri-

mum

imum & vltimum hominis peccatum nuncupauerunt, quod & omnium peccatorum initium ſit, & ex omnibus peccatis non niſi vltimo & poſtremo loco, quaſi poſtrema veſtis (vt ſcribit Plato) deponatur. Hoc enim ſceleris genus tam præpoſterum eſſe, vt in ipſis quoque ſummis & præclaris virtutibus, maximè timendũ ſit. Adeò quoque militantem hic animam importunum hoc ſcelus non deſerere, vt aliis vtcunque ſuperatis ac debellatis, fuſis atque fugatis vitiis, iſtud ſemper in acie ſtet, Chriſtique militem exercere non deſinat. Quid? quòd ſic capitale hoc vitiũ eſt, vt non ſolùm ea quæ vulgo numerantur peccata pariat, auaritiam, gulam, luxuriam, & ſimilia, quæ omnia charitati aduerſantur, & voluntatis corruptæ defectus ſunt; ſed præterea alia illa corrupti ac deprauati intellectus mala atque flagitia infælici quoq; fœtu producat? Iſtud enim vnum flagitium, & ignorantiam veritatis in Philoſophis, & apoſtaſiam à veritate in hæreticis, ſemper peperit, & adhuc hodie parit; nec parit tantùm, ſed nutrit, fouetque: ſolumque in cauſa eſt, ne vnquam ad veritatis lucem perueniant, qui in falſitatis tenebris verſantur. Poſtremò ſic hoc vnum capitale, quaſique vnicum peccatum eſt, vt iſtud ſolum omnem pœnitentiæ & reſipiſcentiæ aditum peccatori claudat: verè *coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro*: vt qui Gen. 49.

in hoc ſcelere ſemel ceciderit, non adiiciat amplius vt reſurgat; ſed qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc. O tetrum, immane, & horrendum flagitium! Sed tamen (quæ ſumma eſt hodie rerum omnium infælicitas) vulgare, commune, & tritum, peneque laudatum & honoratum peccatum. Expectatis fortaſſe quid demum peccatum hoc eſſe poſſit, tot modis ac nominibus enorme, & tamen ita (vt dicimus) vulgare atque commune. Numeratur ſanè illud inter peccata capitalia, & primo loco à pleriſque ponitur; ſed mihi certè ob cauſas iam dictas, ſolum & vnicum capitale dici poſſe videtur: Reliqua enim ſanè peccata ſunt grauia & enormia. Capitale autem fortaſſe non niſi hoc ſolum. Aut ſi alia etiam capitalia peccata, ſeu aliorum peccatorum capita dici volumus, quia hoc iam vſus obtinuit, iſtud vnum ipſorum erit capitum caput, & quaſi peccatorum ſupremum caput. Sed quodnam illud tandem? Quid aliud expectatis? Superbia eſt. Superbia ſic Capitale peccatum eſt, vt omnium peccatorum, etiam eorum quæ capitalia vocantur, ſupremum caput ſit. Superbia talis eſt, vt ea ſola qui laborat, aliis quoque vitiis omnibus ſcateat, auaritia, ira, inuidia, luxuria, & ſimilibus. Superbia niſi prior animo inſederit, nullum aliud vitium accedit; & ita vbi ſedem ſemel fixit, tenaciter adhæret, vt non niſi poſtrema exeat. Superbia inanem philoſophiam & blaſphemas

Superbia peccatorũ caput ſupremum.

omnium

omnium ætatum hæreſes peperit, aluit, fouit. Superbia denique ſola, ne peccator ſe in ſcelere eſſe deprehendat & agnoſcat, atque ita denuo reſipiſcat, facit. Eſt poſtremò ſuperbia omnibus communis, quia vno aut altero ſcelere, omnes aut pene omnes laboramus. Quæ quidem omnia ita vt diximus ſe habere, eo ordine quo iam diximus oſtendemus. Hanc enim viam & rationem ad huius peccati turpitudinem & grauitatem demonſtrandam, commodiſſimam eſſe exiſtimaui. Verùm iſtud prius non fecero, quàm (quod ante omnia neceſſarium eſt) quid, & quotuplex ſit ſuperbia docuerimus: ne de re incerta diſputare, &, Andabatarum more, in tenebris pugnare videamur. Huius autem vitij natura & turpitudine, his duabus partibus abſoluta, poſtremo loco de eiuſdẽ cauſis & remediis diſputabimus. Quæ ſanè omnia, ſic eſſe non vtilia tantum, ſed & maximè neceſſaria exiſtimate; vt qui huius vitij fugam non didicerit, is ab aliis ſe tueri nullo modo poſſe ſibi perſuadeat: qui autem iſtud ſemel egregiè ſuperauerit, is aliorum quoque omnium victor euadere minimè dubitet. Diligenter itaque quod facitis, attendite. Superbia (vt eam ſapienter ſcholaſtici definiunt) nihil aliud eſt quàm amor inordinatus propriæ excellentiæ. Sic Auguſtinus, *Amor excellentiæ, ſuperbia vocatur.* *De verbis Dom ſerm. 53.* Sed plenius ſcholaſtici. Non enim omnis excellentiæ amor ſuperbiæ nomine dam-

nandus, ſed inordinatus amor ſuperbia eſt. Ordinatus autem & rectus eſſe talis amor, duobus tantum modis poteſt. Primùm cùm propriæ excellentiæ & laudis ſoliciti ſumus propter Dei honorem & proximi vtilitatẽ.

1.Cor.1. De primo Apoſtolus: *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur*. Et alibi in medium producens reuelationes ſuas; *pro huiuſmodi*, inquit,

2.Cor.12. *gloriabor, pro me autem nihil niſi in infirmitatibus meis*; Rurſum propter aliorum vtilitatem ſuas laudes commemorat. Quum enim dura & acerba quæ pro Chriſto paſſus eſſet commemoraſſet, ſubdit, *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Ego à vobis debui commendari: nihil enim minus feci ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.* Hic ergo vel propter Dei honorẽ, vel propter proximi ædificationem, amor laudis virtus eſt: eſt enim nobis bona vita neceſſaria, ſed aliis bona fama. Itaque ſtudere bonæ famæ & laudi propriæ his de cauſis ſuperbiæ vitium non eſt.

Rurſum ſuperbiæ vitium non eſt, cùm quis propriam excellentiam in bono deſiderat, vt flagrare amore virtutis & eruditionis, cupereque in vtraque excellere; ſi tamen media hic magis quàm finem expetat, virtutes ipſas, & laudabilem eruditionem, magis quàm gloriam & laudem: hic enim amor laudis, inordinatus adhuc non eſt,

Philip.4 quum ad hanc hortatur Apoſtolus: *De cætero, inquit, fratres, quæcunque ſunt vera, quæ-*

cunque

cunque pudica, quæcunque casta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate. Et rursum: *bonum fac, & habebis laudem ex illa,* ex potestate dicit humana. Non solum futuram illam proponit, de qua alibi dicit, *tunc laus erit vnicuique à Deo.* Rom. 13. 1. Cor. 4

Sed extra hos casus propriæ excellentiæ amor, inordinatus erit, ideóque superbiæ nomen accipiet: Quod quidem quot modis fiat, nunc dicemus. Enumerantur autem accuratè à sancto Gregorio, quem omnes postea scholastici sequuti sunt. Prima superbia est, bonum aliquod seu animæ, seu corporis sibi soli tribuere, non Deo acceptũ referre. Contra hác Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* De huiusmodi superbia Prosper: *Si quis est qui aliqua se habere existimat bona, quorũ nõ Deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, manifestum est hũc non Dei spiritum habere, sed mundi.* Hæc propria erat diaboli superbia, & hæc idololatria quædam censetur. Fecit enim hæc tandem, vt se pro diis coli homines iuberent: Exempla sunt Alexander Macedo, Nabugodonosor in Babylonia, Herodes in Iudæa: aliique complures. Moral. lib. 23. cap. 7. 1. Cor. 4. In epist. ad Demetriadem.

Alia superbiæ species est, fateri quidem à Deo bona esse quæ accepimus, ea tamen sic data, vt nostris meritis, studiis ac laboribus putemus acquisita. Contra quam su- 2. species.

Ephes. 2. Prouer. 3. Deut. 8.

perbiam Apoſtolus clamat; *non ex vobis, non ex operibus, ne quis glorietur*. Et ſæpe Scriptura admonet, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et rurſum, *Vide ne obliuiſcaris Domini Dei tui, & poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, eleuetur cor tuum, dicas in corde tuo: Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt*. Talis erat Ozias ſiue Azarias Rex. Ex hac ſuperbia Pelagiana hæreſis proceſſit; & Donatiſtarum quoque. Ideo contra vtroſque ſæpius vſurpat Auguſtinus illud Prophetæ: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*.

Ierem. 17.

3. ſpecies.

Tertia ſuperbiæ ſpecies eſt, ſibi attribuere bonum quod quis non habet, aut maius atque amplius quàm habet. Qualis erat ille Laodicenſis Epiſcopus, contra quem ſic ſcribit Ioannes: *Dicis quod diues ſum & locupletatus & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus?* Talis etiam ille Moab erat, de quo Scriptura ait: *Superbiam eius & arrogantiam eius ego noui, & quòd non ſit iuxta eum virtus eius*, id eſt, quod plura ſibi vendicet, quàm habet. Trita eſt hæc & vulgaris ſuperbia.

Apocal. 3. Ierem. 48.

4. ſpecies.

Quarta ſuperbiæ ſpecies eſt, quum deſpectis cæteris, id bonum ſingulariter habere, quod habemus, videri volumus. Nec enim ſic de veris virtutibus nobis placere debemus, vt aliis nos hoc nomine vlla ra-

tione præferamus. Grauiter hoc nomine audiit ille Pharisæus, *qui* (ait Gregorius) *idcirco de templo absque iustificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se prætulit.* Sic notat & Augustinus: *Quis*, inquit, *superbus est? Qui etiam si Deo tribuit bona quæ facit, insultat tamen iis qui illa non faciunt, & extollit se super illos.* Nam & ille Pharisæus: *Gratias tibi ago, inquit, non dixit, ego facio: De iis quæ faciebat, gratias Deo agebat. Vnde ergo improbatus est? Quia insultabat Publicano.* *Luca 18.* *Moral. li. 23. cap. 7.* *Enarrat. in Ps. 93.*

Ex hac autem tam multiplici superbia, tanquam ex infausta parente infælices proles, proficiscuntur multa alia peccata, quæ propriè ad superbiam spectant. Qualia sunt iactantia, inobedientia, hypocrisis, ambitio, pertinacia in malo, curiositas in rebus vanis: Hæc enim omnia sunt superborũ propria. Sed de capite & radice agamus, eo enim sublato, reliqua euanescunt. Retractemus itaque ea quæ initio diximus, & singulis magis immoremur, vt huius capitis & radicis quanta sit turpitudo, fæditas, enormitas ostendatur.

Primum itaque est omnium omnino peccatorum initium, radix & supremum caput. Apertè dicit Scriptura: *Initium omnis peccati est superbia.* Cuius sanè ratio multiplex est. Primùm cùm peccati tota ratio sit auerti à Deo, & connecti ad bonum creatum, eoque *Superbia omnium peccatorũ radix.* *Eccl. 10.*

inordinatè frui ; id nunquam fit nisi superbia, id est, sui ipsius inordinatus amor præcedat. Ideo enim à Deo auersi, ad bonum creatum conuertimur, quia nobis placet, quia eo delectabiliter frui volumus ; facit ergo ille inordinatus amor sui (qui superbia est) vt ad bonum creatum nos inordinatè conuertamus. Præterea auersio quæ fit à Deo, initiũ accipit à superbia. *Initium enim* (ait Sapiens) *superbia hominis, apostatare à Deo.* Et in hoc sensu scripsit Isidorus. *Omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vitia, contemptui habet diuina præcepta. Rectè ergo initium omnis peccati superbia, quia nisi præcesserit mandatorum* Dei *inobedientia, transgreßionis non sequitur culpa.* Et hinc sanè primum peccatum Adæ superbiam fuisse notarũt sancti Patres. Hinc etiam scripsit Augustinus, *Duos amores duas in hoc mundo constituere ciuitates. Amor enim Dei vsque ad contemptum mundi, constituit ciuitatem Dei, estq́ fundamentum eius: Amor sui vsque ad contemptum Dei, constituit ciuitatem diaboli.* Hac sanè de causa Diuus Gregorius superbiam non inter septem capitalia numerat ; sed eius loco inanem gloriam recensens, superbiam vocat *reginam omnium vitiorum :* Cætera verò vt duces exercitus ponit, omnes superbiæ imperio parentes. Et rursum alibi radicẽ esse peccatorũ omnium ostendit. His verbis : *Sicut inferiùs radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur : ita se superbia extrinsecus*

Lib. 2. de summo bono, cap. 38.

De Ciuit. Dei lib. 14 cap. vlt.

Moral. lib. 31. cap. 31.

celat,

celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulãt. Nulla quippe mala in publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto stringeret. Huius autem rei rationem, etiam præter ea quæ superius notauimus, efficacem & veram reddit Prosper, sic scribens: *non solum peccatum est superbia, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit, sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum nisi Dei contemptus est, quo eius præcepta calcantur, quem contemptũ Dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi superbia.* Et confirmatur hæc Prosperi sententia à Propheta regio. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum nõ moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatẽ.* Vbi Augustinus: *Quare superbiæ pedẽ dixit? quia superbiendo Deum deseruit, & discessit & pedem affectum dixit. Ideo cùm cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait: illa tuum obseruabit caput, & tu illius calcaneum. Serpens enim per superbiam nos supplantat, & Ecclesia caput eius humilitate conterit.* His sanè de causis & initium & radix & caput omnium peccatorum vocatur. Cupiditas quidem seu amor pecuniæ ab Apostolo vocatur: sed verum istud est quo ad executionem multorũ peccatorum, quibus materiam suppeditat *radix omnium peccatorum*, pecunia. Atque quo ad intentionẽ primam, & interiorẽ animi effectum, omnium radix est superbia. *Caput omnium morborũ superbia*, ait Augustinus, *quia caput omnium peccatorum superbia.* Medicus

Moral. lib. 24. cap. 17.

De vita cõtemplatiua lib. 3. cap. 2.

Psal. 36.

Tract. 25. in Ioan.

prudens morbum curaturus causam quærit, & inuentam curat: Sic tu cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt caput omnium morborum curatur, id est, superbia, descendit Filius Dei, & factus est humilis. Adeò est hoc verum quod diximus supremum caput peccatorum esse superbiam.

Iam verò adeò est hoc pestilens malum, vt non primum tantum sed & vltimũ quoque peccatum sit. Etenim cæteris omnibus vitiis debellatis, hoc vltimum in acie stat, ipsis etiam virtutibus insidias struens, qua de re sic Isidorus pulchrè scripsit: *Superbia est in peccato prima, & in conflictu postrema. Superbia vt est origo omnium criminum, ita ruina est cunctarum virtutum. Hæc enim aut prima in exordio mentem per peccatum prosternit, aut nouißimè de virtutibus eiicit. Inde & omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes quàm per vitia humanam mentem exterminat.* Et hoc sanè illud est quod scripsit Augustinus. *Vitia cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timẽda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Hinc generale quoddam malum à Sanctis Patribus vocatur. Sic Gregorius: *Superbia nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus, corpus omne corrumpit.* Quod totidem fere verbis repetit Prosper: *Aliæ cupiditates ea tantum bona quibus aduersantur*

De summo bono lib. 2. cap. 38.

Epist. 56.

Morali. li. 34. cap. 18.

Epist. ad Demetriadem.

tur imminuunt, superbia dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit. Hac sanè de causa, vt omnium peccatorum prima, ita & postrema superbia est. Vnde præclarè scripsit Plato, τὴν κενοδοξίαν ὥσπερ τὴν ἔσχατον χίτωνα ἀποδύεται ἡ ψυχή, quod in deponendo & exuendo vetere homine, extremus sit superbiæ pannus. *In Phædro.*

Est præterea ita capitale & generale quoddam peccatum superbia, vt non cętera tantùm vitia, quæ charitati aduersantur, & ex voluntate deprauata oriuntur, producat, sed & illa quoque pariat, nutriat, ac foueat, quæ deprauatus intellectus patrat. Philosophorum & gentium ignorantiam, non nisi superbiæ prolem fuisse, Apostolus declarans dicit: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sint, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificarunt, sed euanuerũt in cogitationibus.* *Rom. 1.* Ex hoc enim pede superbiæ (vt notat Augustinus) ceciderunt operantes iniquitatem, traditi in reprobum sensum. *Enarr. in Psal. 36.* Demonstrat copiosè Augustinus alibi, non aliam ob causam à Christi doctrina abhorruisse Philosophos, quàm quia superbi essent: *Quid,* inquit, *causa est quod propter opiniones vestras quas ipsi oppugnatis Christiani esse nolitis: nisi quia Christus humilis venit, & vos superbi estis?* *De ciuit. Dei lib. 10. cap. 29.* Et hoc est quod Apostolus dicit, *Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi, nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* *1. Cor. 1.* Hoc est quod Propheta futu-

Abdiæ 1. rum prædixit: *Perdam ſapientiam ſapiẽtium,*
& prudentiam prudentium reprobabo : id eſt,
Vbi ſuprà cap.28. *quam ſibi arrogant , nec habent eam quæ Dei*
eſt , ait Auguſtinus. Hoc denique eſt quod
ipſe Saluator in Spiritu exultans dixit, *Con-*
Matth.11. *fiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc a ſapien*
Eſai. 7. *tibus, & reuelaſti ea paruulis.* Nempe contra
ſuperbiam dictum eſt, *Niſi credideritis, non*
intelligetis. Qua de re vide (ſi libet) prolixè
diſputantem Auguſtinum lib. de vtilitate
credendi. Sicut olim infidelitatis, ita hodie
hæreſis ſola ſuperbia mater & nutrix eſt,
quod egregiè docuit Apoſtolus, ſic ſcribẽs:
2. Tim.3. *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati,*
ſuperbi, &c. ſemper diſcentes, & nunquam ad
ſcientiam veritatis peruenientes. Et cauſam
ſubdit: *Sicut enim Iamnes & Mambres reſti-*
terunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati. Si-
cut etiam deſcribit Propheta hæreticos, *vt*
oues errantes ſuper montes & colles, quæ ver-
Lib. de Paſtoribus cap. 8. ba explicans Auguſtinus, *Diuerſis*, inquit, *in*
locis diuerſæ ſunt hæreſes, ſed vna mater ſuper-
bia omnes genuit : ſicut vna mater Catholica,
omnes Chriſtianos fideles, toto orbe diffuſos.
Niceph. lib. 4. cap. 7.12.20. 21. lib 6. cap. 3.30. lib. 14. cap. 32. lib. 16. cap 29. Quod ſi quis hiſtorias Eccleſiæ conſulat,
Archihæreticos omnes non niſi ex ſuperbia
& ambitione aliqua in hæreſim incidiſſe vi-
debit. Sic de Tatiano, de Thebute, de Ter-
tulliano, de Florino & Blaſto, de Montano,
de Nonato, de Meletio, de Neſtorio, de
Seuero ſcribit Nicephorus. Sic de Valen-
tino ſcribit Tertullianus in lib. aduerſus

Valentinianos. Huius autem rei figura erat, quod causa diuersitatis linguarũ in illa confusione Babylonica sola superbia fuerit, vt notauit Augustinus tractatu 6. in Ioannem.

Satis hæc opinor, quæ hactenus diximus, superbiæ turpitudinem & grauitatem demonstrat Sed vt eam adhuc magis ac magis exploratam habeas, en tibi aliud, idemque postremum huius demonstrationis argumentum. Nempe tam horrendum est superbiæ vitium, vt illud solum omnem pene pœnitentiæ ac resipiscentiæ viam excludat, ideóque non nisi difficillimè curetur. Ostẽdit hoc quod dico illa Apostoli vox de Neophyto, *ne elatus*, inquit, *incidat in iudicium diaboli*, ostendens superbũ hominẽ esse pœnæ proximũ, sicut diabolus superbiens statim detrusus est. Hinc in Scripturis dicitur quod *Deus superbis resistat*. Et rursum, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Et rursum, *quod hominibus altum & sublime est, abominatio est apud Deũ*. Ex quibus Spiritus Sancti vocibus collegerunt Patres, hoc demum vitiũ difficillimè curari, certissimè puniri, & pœnitentiæ viam (quantum quidem in se est) excludere. Difficultas curandi in eo est, quod nihil magis petendæ veniæ repugnat, quàm animus superbus. Vnde Augustinus: *Vno superbia vitio misericordiæ medicina respuitur. Quid enim tã opus misericordia, quàm miser? & quid tam indignũ misericordia, quàm superbus miser?* Idcirco ne

1. Tim. 3.

Iacob. 4.
Psalm. 6[?].
Luca 16.

De lib. arbitr. lib. 3. cap. 10.

in superbiam incidant electi Dei, tum aliis malis multis vexantur; tum interdum in alia peccata incidere permittuntur. Primi exemplum illustre est Apostolus, *cui (ne magnitudo reuelationum eum extolleret) datus est stimulus carnis, qui eum colaphizaret, angelus Satanæ.* Qua in re meritò exclamat Augustinus: *O venenum, quod non curatur nisi veneno. Caput cadebatur, ne caput extolleretur. O Antidotum, quasi quod de serpente conficitur! vnde enim serpens cecidit, inde hominem deiecit.* Hinc sanè notauit pulchrè Diuus Bernardus remedia quinque à Domino huic malo esse posita: *Locus,* inquit, *quia exilium, corpus quia onerosum, tentatio quia inquietat, Christi prædicatio, quia ædificat, & eius conuersatio quia informat.* Secundum etiam docent Patres: Sic enim Isidorus scribit: *Vtilius est arroganti in quocunque vitio labi, & humilem post casum Deo fieri, quàm per elationem superbiæ, grauiorem ruinam & damnationem subire.* Apertiùs autem & confidentiùs hac de re (præter suum morem) Augustinus: *Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit quando fleuit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Sic vtile docet fuisse Adamo quod apertè ceciderit man-

2. Cor. 12

De verb. Apli. ser 3.

Serm. 3. ex paruis sermon.

De summo bono, lib. 2. cap. 38.

De Ciuit. Dei lib. 14 cap. 13.

Psal. 82.

datum

datum Dei transgrediens, qui antea per superbiam occultè ceciderat. Hinc ergo liquet quale & quàm enorme hoc peccatum sit, quod nõ nisi multis magnisq́ malis edoctum resipiscit. Quibus pro colophone illud Gregorij magni fulmen adiiciemus. *Euidentissimum reproborum signum superbia est: vt contrà humilitas electorum.* Moral. li. 34. cap. 23.

De remediis superbiæ. De remediis superbiæ esset iam proximo loco dicendum: sed ea de re magna ex parte nos admonere possunt quæ iã postremò de eius difficili curatione diximus. Quanquam sanè si rectè rem perpendimus, tota hæc difficultas, non ex ipsius rei natura, sed ex nostra sola quadam incõsideratione oritur. Etenim (vt doctè notarunt scholastici) sola superbiæ causa, quædam est mentis inaduertentia, crassa quædã & supina sui ipsius consideratio. Est enim hoc vitium animæ rationali proprium: in qua vt cætera vitia in concupiscibili & irascibili animæ parte, hęc vt in subiecto versantur. Quare hîc si ratio suum officium faceret, nulla in nobis esset superbia. Nempe si animaduerteret atque recoleret animus, quicquid in nobis est, à Deo esse, non à nobis. Sic nos docet Chrysostomus: *Quomodo* (inquit) *superbiam extinguere possumus? Si Deũ agnoscamus: Nam si ex ignorantia Dei nascitur: cùm ipsum agnouerimus, expellitur omnis insolentia.* Sic sanè ratiocinatur & Apostolus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid* Hom. 43. ad pop. Antioch. 1. Cor. 3. De S. Virginit. cap. 38.

gloriaris,

gloriaris, quasi non acceperis? Ama Dei bonitatem, time seueritatẽ, vtrumq́; te superbũ esse non sinit, ait B. Augustinus. Vt videlicet illa sola consideratio, nos à Deo omnia accepisse, docere abundè possit ac debeat, non esse vllo modo superbiẽdũ. Rursum Christi illa admirabilis humilitas idem nos docet, quam rem sæpe inculcat Augustinus: *Erubescat homo esse superbus, propter quem humilis factus est Deus.* Et alibi, *Humilis Christus venit, vt humilitatem doceret.* Et videte vt hoc docuerit Christus: multa quidem & alia docuit, sed expressa docendi formula, in in hac sola re vsus est. *Discite* (inquit) *à me quia mitis sum & humilis corde.* Volens videlicet suam conuersationem, ac totam illam Sacrosanctam œconomiam, nobis perpetuo ante oculos versari, vt eius exemplo humilitatẽ disceremus. *Nõ dicit, discite à me mundum fabricare aut mortuos resuscitare, sed discite quia humilis sum, &c.* ait Augustinus.

Enarr. in Psalm. 18.
Tract. 25. in Ioan.
Matth. 11.
De S. Virginit. cap. 35.

Aliud superbiæ remedium est nostri ipsius consideratio in malis quæ fecimus. *Nã si vel vnius diei peccata in memoriam reuoces*, ait alicubi Chrysostomus, *faciet illa recordatio vt facilè cristas dimittas.* Sic etiam docet Ambrosius conterere Satanam sub pedibus nostris. *Sic*, inquit, *conteritur eius venenum, si te tua facta compungant. Sic omne virus eius abolctur, si fideli confeßione temperes crimen admissum.* Sanè enim ferocientem ac lasciuientem superbiæ equum, nihil magis re-

Homi. 20. in Matth.
In præfat. in Psal. 37.
Homi. 31. in epist. ad Hebr.

tun

tundit quàm suorum peccatorum recordatio. *Resilit conscientia* (ait Chrysostomus) *& non patitur ex memoria malorum verberari. Sed doma animam tuam, & chamo illam constringe: Sicut enim equus indomitus, sic & illa resultat, nec vult agnoscere peccata. Sed ad hoc eam impelle, & omnem insolentiam fregeris.* Sic nobis accidet quod pauonibus, qui de cauda superbientes, vbi ad pedes deformes fortè despexerint, caudam dimittunt, & fastum deponunt. Sunt hæc tria potissima superbiæ remedia & propria.

DIXI.

De Auaritiæ peccato, vt cupiditatem habendi notat.

Oratio Catechetica III.

QVod scribit Psalmista regius (Auditores) quod quotidie canit ecclesia, quod in ore perpetuò habemus, quod omnibus, vt arbitror, studiosis ac literatis notissimum, tritum, & familiare est; vel quia id ipsi lectitauerint, vel certè quia sæpissimè in templis cantitatum audiuerint, istud, inquam, *Filij hominum, vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* sicuti in permultis aliis humanæ vitæ, seu vanis erroribus seu vitiis & corruptelis locum habet, ita in eo capitali peccato, cuius hodie *Psalm. 4.*

tractationem ingredimur,potiſſimum obtinet;vt vel hoc ſolum in his verbis ſpectaſſe Propheta, vel de hoc maximè nos admonuiſſe Spiritus Sanctus meritò voluiſſe videntur: De quo enim hodie dicturi ſumus capitali peccato, & tum plurimorum, tum etiam maximorum malorum capite ac radice,tale ac huiuſmodi malũ eſt,tam ineptum, futile,ſordidum:tam ſceleratum, turpe, impium:ita quoque vulgare,populare, & aſſiduum; tanta cum vanitate, tam nulla cum vtilitate, tam certa cum impietate coniunctum;ſic Deo odioſum, ſic proximo iniuriũ, ſic illi ipſi in quo eſt moleſtum, noxium, damnabile;vt meritò & iuſtiſſimè exclamare libeat liceatque cum Propheta regio: *Filij hominum,vſquequo graui corde,vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium?* Cætera enim peccata talia ſunt, vt vel ex vitiatæ naturæ quodam impetu ad ea feramur, vel veram ſecum,licet breuem,voluptatem afferant, vel certè honorem atque ſplendorem concilient. Siquidem ad iram atque libidinẽ alij aliis magis à natura proni atque procliues ſunt: habet voluptatem luxuria, ſectatur honorem ſuperbia: vt propterea in iſtis vel naturæ impetus interdum aut excuſet culpam aut minuat, vel expetitæ voluptatis fruitio delectet, vel exiſtimationis opinio ſaltem apud homines illuſtret. Ita aliquid habent ſaltem in ſpeciem aut bonum aut venia dignum. Sola autem auaritia,

Auaritiæ ſingularis turpitudo & impietas.

de qua

de qua hodie dicemus, nec vllam habet naturalis impetus excuſationem, nec vel minimam ſecum voluptatem adfert, ſed curas, moleſtias, & animi perturbationes maximas, eſtque poſtremò ita fœda & turpis, vt proprio quodam epitheto *ſordida* nuncupata fuerit. Rurſum alia peccata, etſi Deum quidem illa omnia offendant, non tamen omnia proximum lædunt, pauca dominis ipſis ſuis (alia quàm generali peccati ratione) noxia ſunt, nulla profectò ita noxia, vt omnem planè ſalutis quaſi viam atque aditum præcludant. Etenim nec ſuperbus, nec iracundus, nec guloſus, nec inuidus, nec acedia correptus aliis quàm ſibi ipſi nocet, neque ſingulare ſibi aliquod detrimentum, aut ſuperbus affert, aut acedia correptus, non aliud, inquam, quàm omnia peccata afferre ſolent, neq; vllum iſtorum quæ cõmemorauimus aditum ad regna cælorum adeò difficilem quaſique impoſſibilẽ reddit. Sola auaritia præterquam quod Deo maximè eſt inimica, proximo quoque planéque toti Reipublicæ maximè eſt iniurioſa, poſſeſſori autem ac Domino ſuo ita noxia, vt de ea ſola dictũ ſit, *impoſſibile eſſe*, qui ea correpti ſunt, *intrare in regna cælorum*. Taceo quod hæc quoque nõ minus quàm ſuperbia ſuo quodá modo ſit (vt Apoſtolus dixit) *radix omnium malorum*. Quod tamen auaritiæ & cupiditatis peccatũ quá ſit (vti omnes nouimus) planè omnibus commune, & rara

quis in terris, qui ea in corruptissimo hoc sęculo nostro non corripiatur, planè iterum atque iterum cum Propheta regio exclamare libet, *Filij hominum*, *&c.* Planè enim non aliã ob causã, ita (vt loquitur Propheta) etiã hodie *auaritiã sequuntur omnes à maximo vsque ad minimum*, quã quod *filij hominũ*, huiusmodi, non filij Dei sunt, qui *graui corde sunt*, qui terreni, carnales sunt, ideo enim fit *vt diligant vanitatem, & quærant mẽdacium:* qui rem vanissimã, rẽ inanem & vanã, rem futilem & sordidam, meros somnos, pro solida & vera vel voluptate vel vtilitate consectantur. Quæ quidem grauitas cordis & hebetudo mẽtis vt depellatur, quasique disiecta caligine veritatis lux serena & splendida elucescat, hæc quæ diximus omnia ita se habere, vt hinc quàm capitale, id est, quã varium & multiplex, quot & qualium peccatorum atque malorum caput & radix auaritia sit, intelligatis; eo, quantum fieri potest, quo rem præposuimus ordine, ostendemus: Cæterum ante omnia quid sit auaritia, & quot eius numerentur species dicemus.

Auaritia duplex. Auaritia est amor immoderatus diuitiarum. Excedit autem modũ hic amor, quum 1. vel necessarijs contenti non sumus, sed plura appetimus, vel ea quæ habemus cupidè tenemus: Agimus enim hìc de auaritia vt liberalitati aduersatur, non vt iustitiæ repugnat: hæc enim illius filia est potius quã species. Auaritiam in primo sensu notauit A-

posto

postolus, quum diceret: *Sint mores sine auaritia contenti præsentibus.* Et rursum, *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Nempe is propriè auarus est, qui præsentibus & necessariis non contentus, plura concupiscit. Hæc prima est auaritiæ species, cuius hæ sunt filiæ: in affectu quidẽ inquietudo & solicitudo mentis, quam Saluator prohibet. In effectu verò, aliena appetere, contra vltimum decalogi præceptum. Inde etiam rapinæ ac fraudes in rebus, quum vel vi, vel dolo aliena conquirit. Mendacia quoque ac periuria in verbis: proditio quoque & perfidia circa personas. Quæ omnia iam ad iniustitiam pertinẽt, nec ferè absque peccato mortali sunt. *Hebr. 13.* *1. Tim. 6.*

Altera auaritiæ species est, sua cupidè tenere, & acquisitis nimium effici ac delectari. Contra quam auaritiæ speciem monuit Psalmista: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et Saluator in Euãgelio, rogatus à quodã de turba, vt diceret fratri eius vt diuideret hæreditatem cũ eo, planè abnuit hoc facere, moxque subintulit: *Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.* Moxq; parabolam diuitis narrat, qui maiora voluit horrea facere, & dicere animæ suæ: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Hic voluit in suis opibus conquiescere: nõ quidem plura appetere: sicuti & frater ille sua petiit *2.* *Psalm. 61.* *Lucæ 12.*

ſibi dari, nô aliena concupiuit. Et tamẽ dicit Chriſtus: *Cauete ab omni auaritia.* Quid eſt, ab omni? *Quare addidit ab omni?* (ait Auguſtinus) *Quia cupidè & auarè non appetas nec tua: hoc eſt ab omni auaritia cauere. Non ſolum auarus eſt qui rapit aliena, ſed & ille auarus eſt, qui cupidè ſeruat ſua.* Hæc ille. Ab hac auaritiæ altera ſpecie naſcuntur hæ filiæ. Primùm quidem inhumanitas & immiſericordia erga proximum, qua nec fiunt eleemoſynæ, nec vlla alia ratione ſubuenitur egenti proximo, & hæc filia vſurã parit. Deinde etiam obliuio & contemptus Dei ex hoc genere auaritiæ naſcitur. Hæ ſunt auaritiæ ſpecies, & ſingularum ſpecierũ filiæ, ſi non omnes, certè præcipuæ: Quin etiã, niſi vehementer fallor, omnes. Nũc de ſingulis.

Serm. 196. de temp.

Auaritia, quæ præſentibus contenta non eſt, ſed plura ſemper cõcupiſcit, videte quot nominibus abſurda & deteſtabilis ſit, in ſemetipſa, inquam, conſiderata, abſque filiis quas gignit. Primùm hoc nomine abſurda eſt, quia ſolus corrupti animi vitium eſt & improbæ mentis argumentum. Nec enim vel à rationalis animæ partis errore aliquo vt ſuperbia, vel ab iraſcibilis potentiæ inclinatione deprauata vt ira, nec à concupiſcentiæ innatæ corruptela vt luxuria, proficiſcitur: nullus, inquam, vt auarus eſſet, à natura propenſionem accepit, vt quidem natura ſunt iracundi, libidinoſi, & elato animo ſiue ſuperbi: ſed ſtudio & voluntate certa, ac

Auaritia corruptæ mentis argumentum.

pro

proposito quodam proprio auarus fit, quisquis auaritia corripitur. Cuius sanè vitij causa parentum & eorum quibus pueri cōmittimur, vel exempla, vel etiam monita sunt. Solent enim pueri à parentibus doceri, vt ad rem attenti sint, vt sua conseruent, vt ditescant. Est quidem insita homini prudentia, vt de necessariis sibi prospiciat. Sed hanc prudentiam euertit, quòd præsentibus & necessariis contenti non sumus. Hic enim sistere illa prudentia si non humana certè Christiana debebat, hoc limite, his finibus contineri, vt præsentibus contenta plura non appeteret. Audi enim quid Scriptura dicat, *Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas nō potes habere, quæ facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Videte autem quot secum mala hic excessus pariat. Radix est & initium infidelitatis in Deū, quam sapienter Apostolus expressit: Quum enim dixisset, *Sint mores sine auaritia contenti præsentibus*, subiicit; *Ipse enim dixit non te deseram neque derelinquam*: ita vt cōfidenter dicamus, *Dominus mihi adiutor*. Hāc confidentiam amittit, qui plura semper concupiscit. Contra hanc prolixè & accuratè nos monuit in Euangelio Saluator dicens: *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cœli, &c. Nónne vos magis plures estis illis? Nolite ergo solliciti esse, dicentes,*

Auaritiæ causa.

Prou.23.

Heb. 13.

Matth.6.

quid comedemus, &c. Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Debet ergo hæc ſolicitudo à pectore Chriſtiano longè eſſe aliena. *Solicitudinem ſuſtulit* (ait Chryſoſtomus) *non opus, non laborem, non prouidentiam prohibuit.* Quis ergo finis, quis modus huius prudentiæ, vt in ſolicitudinem non excedat? Expoſuit Apoſtolus: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Iſtud appetendo qui excedit, iſtis plura qui concupiſcit, iam contra Deum infidelis eſt. Ideo Saluator, potiſſimam curam, ſollicitudinem, & appetitionem noſtram eſſe voluit de regno Dei, poſteriorem de victu & veſtitu. Hic ordo eſſe debet prudentiæ humanæ, & hunc ordinem qui violat, rurſum prudẽtiæ modum excedit, ideo dicit: *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Sit prima cura de regno Dei. Rurſum modum excedit prudentiæ neceſſariæ, qui de futuris ſollicitus eſt. Ideo Saluator (vt acutè notauit Chryſoſtomus) *non dixit ſimpliciter, nolite eſſe ſolliciti; ſed, nolite eſſe ſolliciti de craſtino.* Craſtini futuri temporis curam ſuſtulit. Et ſic Apoſtolus dixit: *Contenti præſentibus*, id eſt, non ſolliciti de futuris. Ideo etiã in oratione nos docuit Saluator dicere, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* De hodierna, de præſenti neceſſitate, curam permiſit. Hodiernum autem & præſens hîc intellige, non diem tantum præſentem, ſed totum huiuſmodi tempus, cui ſine prçſenti cura atque

Homil. 22. in Matth.

Matth. 6.

Homil. 23. in Matth.

prudentia prouideri non poteſt. Vt quum in annum proximum ſeminat, arat, plantat agricola, & ſimilia. Sed extra huiuſmodi præſentem rerum neceſſitatem colligendis opibus operam dare, hic eſt prudentiæ humanæ exceſſus, & contra prouidentiam Dei peccatum, & quædam infidelitas. Imo vocatur hæc auaritiæ ſpecies in ſacra Scriptura, *idolorum ſeruitus*: & auarus, *filius incredulitatis* vocatur. Quæ quidem auaritia cur idololatria vocetur, eſſet hic dicendi locus, niſi id iam in decalogo dixiſſemus. Sed & in proxima homilia dabitur iſtud explicandi locus. Coloſ. 3.

Præterea habet in ſe hæc prima auaritiæ ſpecies malum hoc inſigne, quod vana, friuola, & inutilis ſit hæc plurimũ ſemper appetitio & ſitis. Nempe nõ aſſequuntur quod expectant & appetunt, prouidentiæ enim noſtræ incertæ ſunt: *Cogitationes mortalium timidæ* (ait Sapiens) *& incertæ prouidentiæ noſtræ*. Ideo vocatur à Saluatore mera ſtultitia. Sic enim de diuite auaro narrat: *Dixit illi Deus, ſtulte, hac nocte animam tuam repetam à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* vocatur auarus ſtultus: vt in veteri teſtamento Nabal ille, qui egenti Dauidi de ſuperfluis ſuis dare noluit, Nabal enim ſtultum ſignificat. Et propterea quaſi perpetuam & certam pœnam auaris infligendam notat Spiritus Sanctus, vt expectatione ſua fruſtrentur. Sic hic, *Quæ paraſti cuius erunt?* Sic Dauid, *Re-* Sap. 9. Luca 12. Pſal. 48.

Psal. 38. *linquet alienis diuitias suas:* & rursum, *The-*
Eccl. 5. *saurizat & ignorat cui congregabit ea:* Sic Salomon: *Vidi stultitiam multam & grauem, diuitias conseruatas in malũ Domini sui.* Quod
Iob 20. & Iob notauit: *Quum habuerit quæ concupierit, poßidere non poterit.* Est ergo hæc propria hominis auari & apta appellatio, *quam* (vt notauit Basilius) *nullus hominum sed ipse Dominus imposuit, vt stultus vocetur.* Quod quidem & Ecclesiastes vocat *laborare in ventum.* Docent hoc exempla; Cyrus à Tomyri occisus, Mauritius à Phoca interẽptus, Midas ille fabulosus, & verus ille subit sublatus Nabal.

Homil. in diuites auaros.

Atque hæc quidem in se mala habet auaritia illa, quæ plura semper concupiscit infra sui ipsius gremij ambitum, vt de eius filiabus quas foras effert nihil dicamus. Sed & aliud adhuc in sinu suo alit & fouet malum hoc auaritiæ monstrum, quod etsi filia auaritiæ ex affectu à scholasticis statuatur; mihi tamen non tam filia aut partus quem educit, quàm conceptus & intestinum quoddã malum, quod perpetuò secum circunfert & fouet, videtur. Est enim auaritiæ plura semper appetenti insitum hoc & intrinsecum malũ planeque indiuiduum & indiuulsum: Mentis videlicet inquietudo, anxietas, tormentum, vt hinc verum sit quod modò diximus, voluptatem nullam, vt cætera pleraque peccata, sed molestias ac perturbationes perpetuas hoc secum auaritiæ peccatum adferre.

Descri

Describit hoc Apostolus Paulus accuratè & copiosè: Quum enim dixisset vt *habẽtes victũ atque vestitũ his contenti essemus*, subiicit: *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua, quæ mergũt homines in interitum & perditionem. Radix enim, &c.* Videte quot mala animi ex hoc vno consequuntur, *velle diuitem esse vel fieri.* Primùm *incidunt in tentationem*, superbiæ scilicet, vnde paulò post subdit: *Præcipe diuitibus huius sæculi non sublimè sapere, non sperare in incerto diuitiarum.* Vnde & Augustinus: *Vermis diuitiarum superbia.* Quod totidem verbis dixit Chrysostomus, *materiam superbiæ* diuitias vocãs. Quo sanè sensu ab Apostolo *Radix* vocatur, quia materiam præbet omnibus vitiis exequendis. Oramus autem quotidie *ne incidamus in tentationem*, & volumus tamen diuites fieri, quum mentiri Apostolus non possit dicens: *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Vbi est laqueus diaboli aut quis & qualis? Pulchrè enim nobis describit Chrysostomus: *Diabolus*, inquit, *serpentis formam gerit, deorsum trahitur, ab inferiori loco depugnat: hoc est, ab iis rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, à diuitiis, denique à sæcularibus quibusuis rebus. Quapropter si quem ille viderit volatu ad cælum ferri, primùm saltu eiusque contingere nequaquam potest: Deinde id aggressus celeriter concidet: neque enim pedes habet ne*

1. Tim. 6.

De verb. Dom. ser. 5.

Homil. 2. ad pop. Antioch.

Homil. 8. in Epist. ad Rom.

formides:

formides; non alas, ne terreare, super terram trahitur, iis quæ in terra sunt adhærescit, veluti serpens spinis occultatur, intra diuitiarum imposturam aßiduè latitans. Non mirum ergo si qui diuitias appetunt, in laqueum incidant diaboli. Frustra enim ibi positus diaboli manus euadere tentas, frustra contendis: Iam captus es ipsa tua cupiditate. *Quid fodis, quid terram sollicitas? fossam facis qua descendas, non vbi aliquid inuenias: lingis terram, & fis inimicus eius: inimici enim eius terram lingent.* Sicuti enim (ait alibi pulchrè idem Chrysostomus) *auiculæ laqueo captæ nulla euasio, sed frustra & incassum alas concutit: ita tibi nulla ratiocinationum vtilitas, si improba cupiditate captus sis, sed quantumcunque resilieris, captus es.* Propterea alæ sunt auiculis, vt effugiant laqueos, propterea ratiocinationes hominibus, vt peccata fugiant. Itaque frustra cogitas de recto vsu diuitiarum, dum earum cupiditate flagras. Multi enim appetunt diuitias, vt illis postea rectè vtantur, sed frustra. Appetitio enim earum ita illaqueat, vt eas nactus, nihil minus quàm de recto vsu cogitet, sed planè à diabolo irretitus multis se vitiis contaminet: & id patiatur, quod addit hîc Apostolus: *Incidit in desideria multa inutilia.* Quæ sint hæc desideria inutilia & vana, pulchrè describit Basilius, *Quædam,* inquit, *est diaboli methodus, ad suggerendas diuitibus mille sumptuum inanum occasiones: Sit inquiunt res partiũ in vsu, partim seposita.*

August. serm. 141. de temp.

Homil. in diuites auaros.

Item

Item quæ in vſu eſt, neceſsitatis terminos tranſcendit. Iſta ſeruiat ſumptibus domeſticis, illa præſtò ſit ad externas phantaſias, vt iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant. Hæc domi permanenti, vitam reddant ſplendidam, vt mihi miraculũ ſit, quomodo tot inanes ſumptus excogitentur. Adſint præterea coci, pincernæ, piſtores, venatores, fictores, pictores, voluptatis omnimodè commentatores. Hæc ſunt deſideria inutilia, quæ ſecum diuitiarum amor adfert, planè vana, futilia, & inutilia. Quod ſi hæc parum moueant, vide quid adhuc Apoſtolus addit: *Et nociua quæ mergunt homines in interitum.* Noxia hæc deſideria illa ſunt, quæ modò quaſi huius capitalis vitij proles & filias enumerauimus, vt aliena appetere, fraude, rapina, mendacio agere, &c. De quibus in 7. 8. & 9. præceptis decalogi egimus, ideóque hic prætermittimus.

Nunc ergo porrò videamus, hæc ipſa plurium ſemper appetitio, quantum in ſeipſo malum ſit. Nempe quid aliud eſt, quàm perpetua quædã ſitis, eaque inexplebilis? Quod ſi quem perpetua Tantali ſiti laborare delectet, is quoque pulchrum ac honeſtum putet, appetere diuitias. *Auarus enim* (vt ſcripſit Salomon) *non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Et paulò poſt: *cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, in curis multis, ærumnis atque triſtitia.* Quod malũ pulchrè ſic explicat Chryſoſtomus. Eccl. 5.

Homil. 12. in Epist. ad Rom.

ſoſtomus, *Tantiſper dum aliarum rerum quis cupiditate tenetur, intenditur cruciatus: ſtante autem appetitione, & re iam concupita potiti, voluptatem capimus. Nam & ſiti quum laboramus, tum ipſi nos recreamus, quum quantum volumus tantum bibimus: quamdiu autem ſitimus, vt omnes etiam fontes exhauſerimus, maius nobis tormentum exiſtit. Eadem ratione ſi res totius mundi fueris conſequutus, nec cupiditati tuæ modum impoſueris, certè quo plura guſtaueris, hoc tibi maius malum aſciſcis.* Hāc abſurditatē pulchrè deſcribit Baſilius: *Vnūquodque creſcentium quum ad iuſtam ſibiq; conuenientem ſtaturæ magnitudinem peruenerit, deſinit augeri. Argentum verò auari nunquam augeſcere deſinit.* Et rationem alibi docet: *Oportebat gaudere & gratos eſſe, quod multis iſti ſint opulentiores. Iſti verò lugent & mœrent, quòd ab vno aut altero opulentioribus vincantur; vbi enim ditiorem vnum adæquarunt, mox alterum à quo ſuperantur adæquare ſtudent.* De qua re ſic etiam Proſper ſcribit. *Cupiditatis impium & plumbeum pondus citius poteſt deponi quàm ferri: & contemni facilius quàm expleri. Sed iuſto Dei fit iudicio, vt qui cupiditati reſiſtere noluimus ingreſſuræ, iam reſiſtere nequeamus ingreſſæ. Sic Tyrannus iſte ex hoſtibus ſuis quos poteſt vincere, victores facit ſuos.* Quam ſanè auaritiæ importunam improbitatem in re ſimili docet Baſilius his verbis, *Velut ebriis occaſio ſitiendi eſt vini copia & augmentum, ſic & qui repente ditatus eſt, plu*

In Pſalm 14.

Homil. in diuites auaros.

Lib. 2. cap. 15. de vita cōtemplatiua.

Homil. in diuites auaros.

est, plura poßidens plura concupiscit, & dum perpetuò cumulum auget, morbum perpetuò nutrit: Studium enim habendi non eos ob iam parta exhilarat: sed, ob ea quæ deesse adhuc videntur cupiditati, angit. Tale quiddam est hæc plus habendi appetitio, & præsentibus contentum non esse.

Accedit ad huius auaritiæ turpitudinem, quòd non solum satiatur nunquam (ideóque etiam plures mundos optauit Alexander) sed præterea & fallit hominis expectationem in futuris, & vexat cruciatque in præsentibus. Fallit planè in futuris, quia (vt ait Scriptura) *dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Et clamat Propheta Baruch: *Vbi sunt principes Gentium, qui thesaurizant argentum & aurum, in quo confidunt homines? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij surrexerunt in loca eorũ.* Quam etiam rationem insinuat Apostolus, *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quin nec auferre poßimus.* Sic autem contendunt auari, quasi perpetuam inde fælicitatem consectaturi; bonisque partis perpetuò fruituri. Vexat porrò in præsentibus, quia ipsa appetitio morbus est & certissimum inopiæ argumentum. Quod pulchrè ostendit Chrysostomus: *Ex indigentia,* inquit, *cupiditas originẽ trahit, vnde vbi satietas est, cupiditas esse non potest. Qui ergo plura petit, inopia est, siue is multa habẽt siue pauca.* Facit ergo inopem

Psal. 76. *Baruch 3.* *1. Tim. 6.* *Homil. 81. in Matth.*

plurium cupiditas, & à quo illi maximè malo abhorrent, in illud impellit. Quod etiam ex alia causa fit, quia alios se ditiores superare contendunt. *Anima enim* (ait Basilius) *curis continuò premitur, dum alios superare contendunt.* Hæc enim fœda concertatio nunquam in pace animam relinquit.

Homi. in diuites auaros.

Fallit præterea auarum sua spes, quia res maximè caduca & labilis est diuitiarũ possessio, vnde Chrysostomus: *Fugitiuus est & ingratus seruus, fidem non habens, vel si innumera ei vincula iniicias, nam & cum ipsis vinculis aufugit, & quamuis seruorum adhibita esset custodia, sæpius tamen seruis persuadens cum ipsis fugit custodibus.* Non est opus aut verbis rem istam pluribus exponere aut exemplis cõprobare. Quotidianus rerũ vsus & experientia hoc loquitur. Quid enim vel maiori cura comparatur, vel magis anxiè custoditur, vel citius atque flebilius amittitur, quàm auari hominis diuitiæ?

Homil. 2. ad pop. Antioch.

Quid quòd hæc insana appetitio semper est cum proximi iniuria coniuncta? Quod egregiè expressit Propheta dicens: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid vos soli habitatis in terra?* Sic enim congerunt quasi soli victuri. Quã insaniam apta similitudine describit sanctus Basilius: *Igne,* inquit, *vehementior huiusmodi est appetitus, omnia conflagrando occupat, in ea quæ sunt vicini grassatur: Mox vbi ad alium peruenit vicinum, & ea quæ illius sunt ad se*

Esai. 5.

Homi. in aliquot Scripturæ loca.

rapit.

rapit. Talis erat Achab impius, Naboth vineam cõcupiſcens. Talis deſcribitur impius Nero, qui ita palatium ſuum dilatauit, vt caneret poëta quidam:

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupet iſta domus.

Hæc ſola dementia omnium bellorum & rapinarum quæ paſſim exercentur, cauſa eſt.

Adeò denique iſtud eſt profeſſioni Chriſtianæ & ſaluti aduerſum, vt omnem planè amorem Dei & virtutem radicitùs extirpet. Quod Saluator nos docuit dum diceret. *Non poteſtis Deo ſeruire & mãmonæ: aut enim vnum odio habebitis, & alterum diligetis: aut contrà.* Sic Iacobus: *Qui vult amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur. Extirpa cupiditatem, ſi vis plantare charitatem,* ait Auguſtinus. *Et quò plus opibus creſcis, eò magis charitate deficis*, ait Baſilius. Quale hoc vitium quod charitatem extirpat? Imò ad omnem planè virtutem ineptum facit, ſi Chryſoſtomo credimus: *Tam atrox*, inquit, *eſt pecuniarum cupiditas, vt licet alioquin virtutis ſimus alumni, nihil tamen diuitiarum appetitione impediti poſsimus proficere: hoc nempe te totum occupat.*

Matt.6.

Iacob.4.

Serm.12. de verbis Domini.

Homil.in diuites auaros.

Poſtremò hæc plura habendi cupiditas, mera quædam inſania eſt, & huiuſmodi, vt quod de alterius generis amore legimus, qui in eo modum ſe tenere poſſe putat, perinde agat ac ſi cum ratione inſanire vellet. Quod apta ſimilitudine explicat Chryſoſto-

Homi. 64. in Matth.

mus: *Si hoc tibi in mentem veniret, vt more volucrum volares, quomodo hanc absurditatem reprimeres? Vtrum fingendo pennas, aliaq; ad volandum instrumenta faciendo? an potius suadendi tibi ipsi væsanam esse hanc & rei impossibilis cupiditatem? Sic & hic facito. Planè enim faciliùs est hominem volare, quàm acquisitione & accessione pecuniæ cupiditatem habendi terminare:* Est ergo etiam in seipso consideratum hoc auaritiæ genus, & à prudentia humana alienum, & summa cum vanitate coniunctum, & quòd infinitas secum affert molestias, voluptatem nullam, & homine Christiano indignum est, ac demum à Christo longissimè diuellit.

DIXI.

De cupiditate tenendi, altera auaritiæ specie,

Oratio Catechetica 4.

SAtis (vt arbitror) copiosè, Auditores, in ea quæ nudiusquartus habita est catechesi, de prima illa auaritiæ specie, quæ in plurium semper appetitione & cupiditate consistit, disputauimus, & quot nominibus detestandum ac fugiendum illud peccatum sit, ostendimus. Esset quidem nunc fortasse de eius variis illis prolibus, & huius capitalis

peccati partibus dicendum, nisi illud totũ iã olim à nobis præstitũ esset, quũ in Decalogi explicatione versaremur. Etenim aliena cõcupiscere, quã graue & enorme esset, de rapinis, fraudib⁹, mẽdaciis, in 7. 8. & 9. præceptis copiosiùs egimus. Hæc enim omnia ab vna quidẽ radice auaritiæ proficiscũtur, iniustitiæ tamen potiùs opera & vitia sunt quã auaritiæ, & iustitiæ nõ liberalitati aduersantur. Illud tamen profectò ad auaritiæ turpitudinem & grauitatem demõstrandam plurimum facit, quòd qui ea correptus est, cætera illa tam nefaria flagitia facilè perpetrat. Quòd si raptores, latrones, sicarios, proditores, vt certissimas Reipublicæ pestes, omnis benè instituta Respublica persequitur, plectit, exterminat, certè auaros & cupidos homines nõ minùs persequi & detestari debebant: nisi fortè satis ille tibi expurgatus & excultus hortus aut ager videtur, in quo pessimarum herbarum folia & ramusculi decutiuntur aut amputantur, stant autem & fixæ permanent radices, vt prima quaque occasione & oportunitate data, etiam vberiùs & copiosiùs succrescant. Radices potiùs scelerum & flagitiorum extirpandæ essent. Principiis obstitisse oportebat. Non minùs auarum hominem horrere & abominari, quàm raptorem, latronem, sicarium. Nunc autem qui egregiè auarus est, qui per fas nefásque ditescit, qui vel ex laicis prædia prædiis accumulat: vel ex clero

Cupiditatis habendi varia turpitudo.

beneficia beneficiis adiungit hunc hominé prudentiæ titulis ornamus, obſeruamus, colimus, admiramur, ſuſpicimus: Quo nihil turpius, iniquius, deteſtabilius eſt. Fit enim quod grauiter increpat Spiritus Sanctus: *Psal. 101.* *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Quinimo fruſtra & incaſſum latrocinia publica, fraudes incredibiles, mẽdacia quotidiana in populo deploramus. Fruſtra & incaſſum Simoniã in clero deteſtamur, quandiu hanc hominum auaritiã, plura (inquam) habendi ac diteſcendi cupiditatem ſuſque deque ferimus, toleramus, palpamus, & venia ac laude dignam exiſtimamus. Hinc planè illa tot hodie egenorũ & pauperum lachrymæ. Hæc vnica eſt fundi noſtri calamitas, totius, inquam, æqui & boni (quod nunc exulare & in vltimas terras ablegari videtur) ſolitudo & vaſtitas. Omnes auari ſumus, omnes diteſcere & volumus & laudi ducimus. Qui id non agit vt diteſcat, vt opes, vt diuitias acquirat, pro trunco, fungo, & ſtipite habetur. Planè id hodie fit, quod de ſuo tempore conqueritur Auguſtinus: *De diſciplina Chriſtiana cap. 2.* *Parentes*, inquit, *noſtri, quando nos in ſcholam mittebant, non hoc nobis dicebant, diſcite literas, vt habeatis vnde legere poſsitis codices dominicos: Diſcite literas, vt ſitis vtiles Eccleſiæ, vtiles Reipublicæ. Nec ipſi Chriſtiani filiis ſuis hoc dicunt. Sed quid dicunt? Diſce literas, mi fili, vt ſis homo. Quid enim modò pecus ſum? Non quidem hoc dico,*

ſed

ſed vt ſis homo, hoc eſt, eminens inter homines, illuſtris, conſpicuus. Vnde & illud prouerbium, quantum habebis, tantum eris. Hæc ille. Quid ergo eſt? Verſamur hic hodie, Auditores, in celeberrima Academia, diſcuntur litteræ à frequentiſſima iuuentute. Quid à parentibus expectatur, niſi vt ſint homines, vt emineãt vel in Republica vel in Eccleſia, vt diteſcant egregiè, vt vel Cõſiliarij & Aduocati in Republica ciuili, vel Canonici & Prælati in Eccleſiis euadãt? Vtinam hîc minus vera dicerem, nec iam verum eſſet, quod prouerbium illud Auguſtini dicit: *Quantum habebis, tantum eris*. Sed moueant nos obſecro quæ nudiuſquartus diximus, vt ab hac turpi & flagitioſa auaritia vel ſeriùs deſiſtamus, vt *contenti præſentibus*, plura & maiora non appetamus. Appetitionem hanc ſordidam, ineptam, vanam, nulla cum voluptate, maximè cum moleſtia coniunctam, ita præterea noxiam & nefandam, exuamus, deteſtemur, abominemur. Heb. 13.

Sed dixerit fortè quiſpiam iam egregiè ditatus: Ecce plura non appeto: partis tamen aut alioqui mihi relictis rebus, vt pro libito fruar, vt illis me oblectem, & in meos vſus ea conſeruem, id opinor non damnabis, aut aliquam hîc auaritiæ maculam ſubeſſe clamabis. Legitimus ſanè & honeſtus diuitiarum vſus non improbatur, imo laudatur plurimum, ſuámque habet illuſtrem & copioſam coram Deo mercedem, adeò vt in-

Lucæ 16. de liceat si libet, *thesaurizare tibi in cælo thesauros æternos*. Cæterum vt plura non appetas, sisque præsentibus contentus, alia tamen est auaritiæ species, eaque plurimum detestanda, & plurimorum etiam peccatorũ caput, si ipsis bonis præsentibus præposterè afficiaris; si cupidè, si auarè seruas etiam tua, tibique optimo iure parta. De hac ergo altera specie, vt planè *ab omni auaritia* caueamus, (sicuti monuit in Euangelio Saluator) Lucæ 12. hodie copiosè & accuratè dicemus, pro huius quidem instituti & temporis ratione.

Multis quidem nominibus illa damnanda auaritia est, quæ vel partis vel relictis bonis non rectè vtitur, sed sordidè & cupidè erga illas afficitur. Quæ tamen omnia priusquam recenseam, operæpretium erit quæ sint huius generis auaritiæ notæ & signa, ante omnia demonstrare, vt & qualis sit hęc auaritiæ species intelligatur, & qua ratione deprehendere quis seipsum potest, sitne hac labe contactus, declaretur.

Cupiditas tenēdi quibus signis cognoscitur

1. Ille itaque auarè & cupidè seruat sua, qui inspiciendis, & contrectandis subinde pecuniis suis delectatur.

2. Qui de earum custodia sollicitus est, plus quàm oportet, id est, vxorem, ministros, vniuersam familiam suspectam habet.

3. Qui selectam & magis pretiosam monetam seorsum reponit, quem ineptum morem taxauit ille ethnicus qui scripsit, *Dilige denarium, sed parcè dilige formam.*

Qu

Qui collectam aliquam ſummam pecuniæ difficulter & ægrè imminuit. 4.

Qui à ſumptibus neceſſariis & honeſtis pro perſonæ ſuæ cõditione abſtinet, ne theſauro aliquid detrahat. 5.

Qui data oportunitate egentibus de bonis ſuis non communicat, nec eleemoſynas facit, aut parciſſimè facit. 6.

Qui rurſum etſi eleemoſynas facit, tamen cum triſtitia animi & mœrore, dolenter & illibenter facit. Hoc enim auaritiæ deputat Apoſtolus, dicens: *quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam.* 7. 2.Cor.9.

Ille etiam qui grauiter fert rei familiaris, quamuis exiguæ, detrimentum, indeque in rixas & iurgia conſurgit. 8.

Poſtremò qui etiam in rei grauis iactura plus æquo contriſtatur & perturbatur. Huiuſmodi enim affectus niſi in animum planè auarum, pecuniæque & earum rerum quæ pecunia æſtimantur ſtolidè amantem, cadere non poſſunt. Hæc auari animi ſigna ſunt, & his modis auarum ſe eſſe deprehendere quiſque poteſt. Nunc quanta ſit hæc ſiue ineptia ſiue iniquitas, ſic affectum eſſe: quàm ſit hoc auaritiæ genus vel ſordidum, vel impium, breuiter oſtendemus. 9.

Primùm itaque, aurum & argentum admirari, & eius conſeruandi ſtudio teneri, res eſt homine ratione & ingenio prædito indigna, vt fides & gratia abeſſet. Multa in hãc dementiam & ſcripſerunt Philoſophi, &

præclarè etiam præstiterant Ethnici, vt suos Roma Fabricios, Catones, Cincinnatos, Valerios: suos etiam Græcia Socrates, Crates, Thebanos, Aristides, quod magni essent pecuniarum contemptores, magna cum laude celebrent: sint autem infames Crassi & Cręsi diuitiarum & auaritiæ nomine. Hinc etiã Plutum diuitiarum Deum cæcum finxerũt, quod planè ab omni ratione & iudicio alienus esset diuitiarum amor. Sic vocantur ab illis auari, *canes in præsepio*, diciturq́ue, *auarum nihil benefacere nisi quum moritur*. Sic laudatur laconica illa (vt in verbis breuitas sit) in rebus parsimonia: tanta profectò, vt 500. totis annis absque pecuniæ vsu illa Respublica steterit: & pessimè apud suos audierit ac de suis meruerit Agesilaus rex, qui primum eius vsum inuexit.

Præclara quidem sunt ista & plausibilia humanæ sapientiæ verba, quæ etsi à solida veritate & pietate quàm longissimè absint, nos tamen meritò confundere debeant, qui nec ad illam quidem vsque pertingimus. Quid enim nobis animi esse oportebat, fidei iam lumine illustratis, charitatis igne accensis, spei stimulis incitatis, diuinæ, inquã, sapientiæ thesauros scientibus, diffusam illam charitatem in cordibus habentibus, denique cælestia & æterna bona sperantibus? Itáne verò nihil horum quum Ethnici haberent, pecunias contemnere potuerunt? Nos illis omnibus plenissimè imbuti, pe-

cunias admirabimur? Siccine edocti & instituti sumus? Sic Christum didicimus, si tamen didicimus? Audiamus ergo vt pecuniarum cõtemptum fides & gratia Christi nos doceat: *De reliquo*, inquit Apostolus, *qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtentes, præterit enim figura huius mundi.* Et seipsum vt exemplum proponit: *Scio*, inquit, *abundare, scio & penuriam pati.* Et rursum: *Nihil habentes, tamen omnia possidentes.* Quid hoc totum aliud, nisi vt discamus, etiam in maxima affluentia, non capi amore rerum terrenarum? Vides enim quã hoc sit te homine Christiano indignũ. *Hoc* (inquit Augustinus) *est fidem nostram abiicere & conculcare, æstimãdo eam mercede vilissima, si non aliter Deo seruire volumus, nisi terrenis opibus concessis. Hæc est gratia noui Testamenti in Christo reuelata, qui ideo in summa rerũ angustia & paupertate vixit, vt nõ pro magno haberemus, ditari in hoc sæculo.* Ideo etiam (vt idem alibi scribit) hæc quidem *diuitiarum bona dantur bonis ne putentur mala, & dantur malis ne putentur magna bona. Itemq́; auferuntur hæc bona à malis, vt crucientur, à bonis vt probentur.* Vide autẽ quã sit absurdũ vt earũ amore tenearis. Quid enim? An cum Peripateticis partem fœlicitatis tuæ in illis bonis pones? Audi potiùs Augustinũ: *Talibus*, inquit, *bonis non fiunt homines boni. Sed aliunde facti boni benè vtẽdo, faciũt vt ista sint bona.* Si vis ergo vt verè tibi bona sint opes quas possides, vtere, expé-

1. Cor. 7.

Philip. 4.

2. Cor. 6.

Epist. 120.

Epist. 70.

Epist. 121.

de: Si retines, si seruas, mala non bona sunt. Sed quomodo, inquis, affici nõ possum præsentibus & affluentibus bonis, aut quomodo hanc affectionem deponere valeam? Respondet tibi Chrysostomus: *Si ethnicus esses, & nihil post hanc vitam sperares, difficilè forsan esset*: (& tamen, vt audisti, plurimi etiam ex illis hoc præstiterunt) *Nunc autem cælum expectans & ea quæ in cælo sunt, dicis quomodo deponam? Si contrarium dicerem, expete & adama diuitias, potiùs mihi diceres, & quomodo hoc faciam cælum expectans? Iniuriam planè tibi facerem, si, proposito auro & pretiosis lapidibus, plumbum tibi appetendum dicerem.* Nunc ergo hominem Christianum amare diuitias, est repertis frugibus glandes cònquirere, & in adulta ætate pueriliter agere, denique in alieno curiosum & sollicitũ esse, quod suum est negligere & despuere. Hinc Saluator de bonis huius mũdi ait: *Si in alieno non fuistis fideles, quod vestrum est, quis credet vobis?*

Homil. 7. in Act. Apost.

Lucæ 16.

Iam verò rem facis non indignam te tantum, sed planè huiusmodi quæ tibi prorsus sit inutilis. Ita enim custoditæ diuitiæ, nec tibi nec aliis vtiles sunt. Quod videre ethnici potuerunt, cùm de eiusmodi hominibus dixerunt, *auaro tam deesse quod habet, quàm quod non habet.* Vnde Midam fabulosum, & Plutum cæcũ introduxerũt. Et elegãter Biõ Borysthenites dicere solebat, tenaces opum vt suarum habere curam; verùm ex eis ve-

Laërt. li. 4

luti alienis nullam capere vtilitatem. Sed quid de hac inſania Spiritus Sãctus docuerit, videamus. *Qui amat diuitias*, ait Sapiens, *fructum non capiet ex eis: cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris*. Ideo enim fructũ non capit, quia amat. Diuitiarum enim fructus, eſt earum vſus. Non vtitur autem, ſed retinet & conſeruat qui eas amat. Qui perinde facit ac ſi faber quiſpiam, miles, aut ſtudioſus, inſtrumenta artis ſuæ, vt ſerram ac ſecurim, gladium & ſcutum, libros & chartas amaret, & libenter contueretur ac contrectaret, iis autem non vteretur, ne fortè aliquid adamati decoris amitterent. Talis erat ille πολύβιβλος, de quo ſcripſit Plutarchus. Et ſunt quidem aliqua, quorum vſus omnis rectus vel in amore eſt, vel abſque amore eſſe nõ poteſt. Primi generis ſunt vir, vxor, liberi, parentes, amici: Hi enim amari debent; & niſi amẽtur, rectè erga eos te gerere non potes. Alterius generis ſunt ſtudia & artes omnes, tum liberales, tum mechanicæ, quæ quãto magis amamus, tanto in iis proficimus magis: denique finis omnium actionum. Is enim niſi ametur comparari nõ poteſt. At verò diuitiæ tale quiddam ſunt, vt ad earum rectum vſum nullo modo amari debeant. Conſumi enim & expendi debent, non amari. Adeò verum eſt quod dixit Sapiens: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis*.

Eccl. 5.

Solæ diuitiæ amari non debẽt.

Eccl. 5.

Deinde non inutilis tantum eſt hic amor,

Amor diuitiarũ noxius. sed & maximè noxius. Te enim captiuum tenet hic amor, vt ad alia omnia sis inutilis. *Prouer.1.* *Semitæ omnis auari* (ait Salomõ) *animas pos-* *Matth.6.* *sidentium rapiunt*. Quod aliis verbis & apertius dixit Saluator: *Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Nempe tenetur non tenet, & possidetur non possidet auarus. Ideo eleganter *Abac.2.* Propheta Abacuc denso luto comparat: *Væ qui congregat auaritiam malam domi suæ: vsquequo aggrauat contra se densum lutum?* Quemadmodum enim qui denso luto infigitur, nec facilè inde extrahitur, & etiam præterea turpiter commaculatur, ita diuitiæ & irretitam animam tenent, ne aspiret ad Christum; & fœdis desideriis imbuit, vt seruiat diabolo. Hinc in Euãgelio *spinæ* vocan- *Lucæ 8.* tur diuitiæ, *quæ verbum Dei penitus suffocãt*, propter curas & voluptates huius mundi diuitiis admixtas, imò earum indiuiduas *Epist. 121* comites. Vnde Augustinus, *matrem deliciarum* vocat diuitias.

Quid quòd proximo maximè iniurium est hoc auaritiæ genus? Quæ enim ad omnium vsum instituta erant, sibi soli retinet, *August. Epist. 54.* verè canis in pręsepio. *Alienum est quod auarè retinetur*. Quod adeò verum est, vt etiam hoc nomine Idololatriæ comparata sit ab *In Cõmẽ. ad Col.3.* Apostolo. Quod sic explanat Ambrosius: *Sicut Idololatria vni Deo nititur auferre gloriam, ne quod ei proprium est solus habeat nomen diuinitatis: sic auaritia in Dei se res ita extendit, vt si fieri posset, vnus & solus creatu-*

rarum

ram ſibi vſurpet, quam Deus omnibus communem fecit. Et alibi iterum: *Auaritia idcirco idololatriæ comparata eſt, quia ea quæ Dei ſunt ſibi vſurpat & recondit, vt quæ vſibus omnium conceſsit Deus communiter, auaritia denegat: quãdo iccirco retinet ſua apud ſe, ne alij vtantur.* Tantum & tam horrẽdum illud malum eſt. Sanè ſi Chryſoſtomo credimus, *ſicut adulatio hominum* (vt notauit Sapiens) *ſic & auaritia hominum introduxit Idololatriam.* Colentes enim homines pecuniam ſuam, à colendo Deo deſtiterunt. Sed de hoc poſtea in alio capite. Nunc de iniuria proximi agamus. Quam apta ſimilitudine exponit Baſilius: *Perinde*, ait, *facit auarus ſua cupidè ſeruans, ac ſi quis in theatro locum ſpectandi mox vt anteuertit, aliis arripere, cæteros abarceat ingreſſu, ſuo vnius vſui adiudicans, quod ad omnium communem vſum proponitur.* Oſtendit autem quàm ſit proximo iniurioſa hæc altera auaritiæ ſpecies eius primogenita filia, *inhumanitas*, & obduratio cordis erga proximum. Habet enim hoc auarus, vt nulli cõpatiatur, nullius egeſtatẽ doleat, nulla commiſeratione erga proximum afficiatur. Sed (vt ſcribit Chryſoſtomus) *quemadmodũ aduerſi & furentes venti mare funditus vertunt, adeò vt arena profundi ſuperiùs miſceatur vndis; ita pecuniæ cupidi, omnia miſcent, neminẽ amicum norunt, æquè furunt in omnes, duri, feri, inhumani, agreſtes pariter erga omnes ſunt.* Et, vt ſcribit Baſilius: *Propter opes propinqui,*

In Com. ad Eph. 5.

Homil. 18 in Epiſt ad Epheſ.

Homil. 6.

Homil. 16. in 1. Tim. 6.

Homil. in diuites auaros.

cognati naturam negant, fratres inter se digladiantur, vt & hodie exclamare libeat: Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Citius enim clauam ex manu Herculis extorqueas, quàm vel obolum ab auaro emungas: veri (vt eos Ariſtophanes vocat) κυμινοπρισταί. Iſtud verò vnum auaritiæ malum quantum & quàm horrendum ſit, mox dicetur, quum de difficultate, vel potiùs de impoſſibilitate ſalutis, quam ſecum adfert, diſputabitur.

Accedit quod huius auaritiæ ſtultitia etiã maior eſt illa quæ plura appetit. Imo hanc propriè ſtultitiam vocat Scriptura. Sic Sa-
Eccl.5. piens: *Vidi ſtultitiam multam & magnam, diuitias conſeruatas, in malum domini ſui.* Ille
Luca 12. qui noua horrea extruere volebat ideo *ſtultus* in Euangelio vocatur, quia ſuperflua illa, & abundantiùs affluentia bona non diſtribuere, ſed recondere voluit. Eſt autem hæc ſtultitia, partim quia ratio & iudicium in talibus deficit, partim quia voluntas corrupta & ægra eſt, maleque affecta. Primam illam notauit Propheta Amos, execrãs eos,
Amos 6. *qui tanquã ſtantia hæc arbitrati ſunt, non tanquam fugientia.* Hoc eſt, qui ita hæc ſedulò retineant, quaſi perpetuò permãſura, contra quam ſtultitiam in præcedenti diximus Catecheſi ex Pſalm. 75. Baruch 3. 1. Timot. 6. Quam ſtultitiam pulchrè Ambroſius de-
Libr.7. Epiſt. 44. ſcribit: *Vana ſpes hominum in hoc ſæculo, qui ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt ſequẽda*

arbitrantur. Inanes & vacuæ rerum species tanquam in somno venerunt, astiterunt, abierunt, euanuerunt. Aliam illam stultitiam seu corruptæ voluntatis ægritudinem apta similitudine declarat Augustinus his verbis: *Superbire de diuitiis quæ abundant & de illis gaudere, tale est, ac si vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplastra in domo, quum hoc illi bonum esset vt vulnera nõ haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro.* Vulnus enim & ægritudo animi est amor diuitiarũ, qui quidem non sanatur, sed accenditur & exacerbatur magis accessione diuitiarum, sicut hydropici morbus plurimum bibendi: etsi in diuitiis sanitatem huius morbi sui, sed frustra, quærãt auari. Sed ad maiora veniamus. Facit huius generis auaritia vt inhęrendo diuitiis, planè deserant & obliuiscantur Deum. Hinc Saluator dixit: *vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum.* Hinc Apostolus de auaritia dicit, *quam quidem appetentes errauerũt à fide.* Ideóque iubet *præcipere diuitibus non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abũdè, &c.* Sic vocatus ad cænã se excusat, *quia emi quinque iuga boũ, & eo probare illa.* Ratio huius est, quia constricti quasi diuitiis & immersi, ad Deũ contendere, aut de eo cogitare non possunt. Isti tales in persecutione Deum negant, in tentatione deserunt. Vnde Cyprianus: *Decepit multos patrimonij sui amor, nec ad recedendum parati, nec expediti esse potuerunt, quos*

Quæst. Euangel. li. 2. q. 29.

Matth. 6.

1. Tim. 6.

Lucæ. 14.

Serm. 5. de lapsis.

facul

facultates suæ velut compedes ligauerũt. Quomodo cœlum petunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Ratio etiã huius est, quia præponit nummum Deo, de quo sic Augusti- *De ciuit. Dei lib.11. cap.25.* nus: *Auari frui volunt nummo, vti autẽ Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* Denique ideo spinæ à Saluatore vocantur, quia *Lucæ 8.* *suffocant verbum Dei*, nec patiuntur sanas de Deo cogitationes in animum admitti, propter curas & solicitudines vitæ huius.

Propter has causas difficilis, imò ferè impossibilis est horum hominum salus: & ideo *Marc. 10.* Saluator dixit: *Filioli, quàm difficilè est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire? facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Sic Ia- *Iacob. 5.* cobus: *Plorate, vlulate, &c. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Quare hoc totum? Quia videlicet erga proximum inhumani, & in Deum impij extiterunt. Nam de *Matth. 7.* primo ait Spiritus Sanctus: *Qua mensura* *1. Cor. 9.* *mensi fueritis, eadem remetietur & vobis.* Et iterum, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Et *Iac. 2.* adhuc grauius: *Iudicium illi absque misericor-* *Psal. 108.* *dia, qui non fecit misericordiam.* Et rursum: *Noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Sed omnium grauissimè Saluator, qui di- *Matth. 23.* cturus est: *Ite maledicti in ignem æternum. Quia esurui & non dedistis mihi manducare, &c.* quæ ibi habentur. Nempe vt summa quædam virtus & maximi meriti est elee-

mosyna, ita pestilentissimum vitium & grauissimè flagellandum est auari immisericordia.

At habent auari vnde se probabiliter excusent, & licet sua conseruent, id tamen se non sine varia & iusta ratione facere profitentur. Nempe (ait vnus) futuræ necessitati prospiciendum est. Nescis enim quid serus vesper aduehat: Cui cum Basilio respondeo: *Non ergo Dominus tibi præceptor erit, nec Euangelium formam vitæ dabit; sed tu tibi ipsi iura dices ac statues: Prohibuit enim Saluator ne sollicitus esset in crastinum.* Quod quale sit in præcedente Catechesi ostendimus. Rursus, *etsi incerta sit (vt ais) futura tua necessitas, longè tamen incertior est defossi & reconditi thesauri tui vsus; nec tamen pœna incerta, sed certissima quæ tuorum morum manet inhumanitatẽ*, de qua suprà dictũ. Dicet alius: ego quidem dum vixero, bonis frui volo; post mortem verò hæredes meos pauperes asscribam. Respondet Basilius: *Scilicet vt in sepulchro iacẽs lauderis. Quantò satius viuens laudem istam promereris?* Rursus: Quis tibi sponsor, aut futuri testamenti (ne vel subitò abripiaris, vel morbo grauatus testamentum condere non valeas, ac vt velis, amici & cognati aut dissimulabunt aut non permittent) aut si testamentum fiat, etiam eius pro tua voluntate exequendi? Nónne verò satiùs est fornacem ardentem aqua priùs restringere, purgatorij flammas eleemosynis redimere,

Auarorũ prætextus inanes.

Homi. in diuites auaros.

Idem ibidem.

Vbi supra.

priùs, inquam, quàm purgatorij fornacem ingrediare, quàm poſtquam ingreſſus fueris ab aliis expectare vt aqua perfundaris, vt eleemoſynis iuueris, qui aut diu tardabunt, te interea in flammis conſtituto, aut fortaſſe nec facere voluerint.

Dicit alius, liberis iſta relinquenda ſunt, ideoq́ue ea nunc diſſipare non debeo, ne de domeſticis meis curam non habens, infideli deterior ſim. Ad hanc friuolam excuſationem vide quid ſancti Patres reſpondeant. Primùm, *Qui ſine liberis ſunt*, (ait Chryſoſtomus) *perinde ſeruant pecunias ac ſi mille haberent*. Sed & liberorum numero imminuto, non tamen ſeruandi minuitur cupiditas. *Non ergo liberorum cura aut affectio, ſed priuata cupiditas ad hanc inſaniam adigit.* Deinde vt vera eſſet hæc allegatio, non tamen iuſta eſt. *Non enim ideo dati ſunt liberi* (ait Baſilius) *vt Dei præcepta contemnas, aut te è cælis excludas.* Egregia verò parentum pietas: multis precibus liberos à Deo expoſcunt, conceſſos in Dei iniuriam diligunt: Deinde ſic præpoſterè diligunt, vt propter amorem liberorum æternum ſibi exitium accerſant. Quod dum faciũt, & liberis quoque ſuis (niſi prorſus ἀστοργοι ſint erga parentes) maximos dolores parant. Quis enim pius paterni peculij hæres, de damnato parente vehementer non doleat? Pulchrè Auguſtinus: *Non eſt hoc curã gerere filiorum, vt eos obruas lachrymis miſerorũ.* Poſtremò non

Homil. 10. in 1. ad Theſſal.

Homil. in diuites auaros.

Homil. 48. ex Homil. 50.

aliunde

aliunde præpoſterus hic liberorum amor quàm ex incredulitate vel perfidia potiùs in Deum naſcitur. Liberis proſpiciendum aiunt etiam contra charitatis diuinæ leges. Quare?Eò quòd prudentiæ & prouidentiæ ſuæ magis fidunt, quàm diuinæ aut pietati aut prouidentiæ. Perituros enim egeſtate liberos aut certè miſerè victitaturos arbitrãtur, ſi effuſis propter Deum diuitiis, aut minùs parcè collectis, ipſis non theſaurizant. Sed audiãt Auguſtinum: *An melius committis filio tuo patrimonium tuum, quàm creatori tuo? Aut idoneus eſt tibi procurator tuus, & minus idoneus eſt Chriſtus?* Ita ſanè. Hæc eſt Chriſtianorum parentum fides. Quæ liberis ipſi ſuis quæ procuratorum fidei commiſerunt, in tuto eſſe non ambigũt. Nihil autem Deo prudenter commiſſum, nihil Chriſto tutò concreditum arbitrãtur. Perire, difflui, & dilabi omnia iudicant in Dei tutelam & in Chriſti ſinum repoſita. Et tamẽ dum hoc faciunt, prudentes & pij parentes tum haberi volunt, tum ab aliis eſſe iudicantur.

Lib. de 10. chordis. cap. 12.

DIXI.

De Gulæ peccato.

Oratio Catechetica 5.

GRauis eſt illa & peracerba humani generis reprehenſio (Auditores) qua

Psal.48. dicit Propheta: *Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Graue & pudendum erat hominem à natiuo illo suo & primæuo nitore atque splendore (in quo creatus est) ita cadere, vt ijs demum rebus assimilaretur, quibus ille vt præesset ac dominaretur factus est. Magna inquam & grauis ignominiæ nota, hominem qui ad Dei optimi maximi imaginem creatus est, eò turpitudinis prolapsum fuisse, vt iã ad imaginem brutorum viuere, vt sicut equus & mulus fieri, chamo & freno constringẽdus, non rationis iudicio, aut Spiritu gratiæ agendus dicatur. Casus profectò lamẽtabilis valde, lapsus fœdus, facinus indignum. Hoc enim nomine asinis & bobus comparamur propter cæcam rerum diuinarum cognitionem, dicente Esaia: *Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: populus autem meus me non cognouit.* Hoc nomine equis rursum assimilamur, propter fœdæ libidinis enormitatem, dicente Ieremia: *Equi & emissarij amatores tui facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Hoc nomine etiam *lupi* propter rapinas, *cornices* propter auaritiam, *serpentes, aspides, & viperæ* propter maliciam, & maledicentiam & iram, *canes & sues*, propter frequentem in eadem peccata recidiuã in scripturis vocamur: Dicente propheta Sophonia: *Principes tui tanquam lupi Arabiæ*, & rursum: *Sedisti in deserto*

Esai. 1.

Ierem. 5.

tan-

tanquam cornix: Et in Euangelio. *Genimina viperarum, quis vos docuit a ventura fugere ira?* Et in Psalmis: *venenum aspidum sub alijs eorum.* Et rursum, *furor illis secundum similitudinem serpentis.* Et Apostolus Petrus, *tanquam canis ad vomitum reuersus, aut sus lota in volutabro luti.* Hoc denique nomine propter summam inertiam & ignauiam ad apes & formicam mittimur, vt ab illis discamus quid hominem deceat: Dicente Salomone, *Vade ad formicam ô piger, & imitare vias eius.* Et rursum, *Proficiscere ad apem, & disce quod ea sit opifex, cuius labores deliciæ sunt regibus.* Adeò profectò vt nullum penè vitium in brutis sit, cuius nomine illis homo non comparetur, nulla virtus quam à brutis discere non possit. Quæ sanè tanta & tam indigna turpitudo est, vt ea maior cogitari vix posse videatur. Nec enim grauius aut acerbius hominum scelera taxare & redarguere se posse Prophetæ putabant, quàm vt homines hoc nomine brutis & bestiis compararent. Attamen vnum adhuc vitium est, vnum peccati ac sceleris genus, in quo non solum brutis comparari, & iumentis insipientibus assimilari, sed (proh pudor, proh scelus) ipsis etiam brutis deteriores, fœdiores, & magis insipientes, meritò censeri debeamus. Istud enim tam turpe peccatum, tam fœdum facinus est, vt hoc sanè in genere bruta & bestias peccare vix vnquam legamus: aut si quod brutum in hoc genere peccet, id non

Sophon. 2.
Matt. 3.
Psal. 130.
Psal. 57.
2. Pet. 2.
Prouer. 6
Eccl. 10.

nisi omnium pecorum sordidissimum esse, *porcos* videlicet, idque in illis etiam quàm rarissimè fieri animaduertitur; adeò vt non sine magna admiratione fiat, quoties accidat. Soli enim porci in gula & ingurgitatione modum excedunt, soli etiam illi visi sunt aliquãdo inebriari: vnde scripsit Chrysostomus, *homines ebrios sues ex hominibus fieri.* Et tamen hoc gulæ vitium (quod hodie capitale peccatum tractare institui) cibi potusque excessus, à quo multa alia & nefanda & sordida vitia pullulant, sic in hominibus frequens est, vt vix iam pro vitio habeatur; vt vix peccati grauioris saltem nomine censendum videatur. Et quidem vsus vitij vitium minueret, si consuetudo peccandi peccatum excusaret, si multitudo peccantium aliquid de peccati ratione detraheret, esset profectò vnde hoc gulæ vitium leuiùs audiret, & faciliùs tolerari posset. Nunc autem quando quo magis vsitatum atque vulgare quid est, eo magis de peccati nomine suspectum esse debeat, nihil hoc gulę vitium adiuuat, quod omnibus ferè & passim commune sit, sed aggrauat hoc magis, augetque peccati rationẽ, certiusque docet peccatum id esse, & si vsu vulgare, grauitate tamen & enormitate non vulgare: nisi fortè id falsum erit, quod Saluator dixit: *Lata & spatiosa est via quæ ducit ad infernum, & multi ambulãt per eam.* Aut frustra Apostolus monuerit: *Nolite conformari huic seculo*: aut temerè

Homil. 58. in Matth.

Matth. 7.

Rom. 12.

Ioannes

Ioannes ſcripſerit: *Nolite diligere mundum, aut ea quæ in mundo ſunt.* Quapropter de gula, de crapula videlicet & ebrietate diſſerentem me hodie (Auditores) æquanimiter obſecro audite; nec quia vel dormit hîc, vel minùs feruet Eccleſię diſciplina, me propter ea aut leuiter, aut molliter, aut minùs diligẽter ea de re diſſerere debuiſſe exiſtimate. Etenim vt ſapiẽter in hac eadẽ cauſa monet Auguſtinus: *ſeueritas quidẽ exercenda eſt in peccata paucorũ, monendũ tamen, docendũ, & ex Scripturis comminandum eſt in multitudine peccantium.* Et quamuis *ad ſanam doctrinam pertinet, vt canes Eccleſiæ propter pacem Eccleſiæ tolerentur*, quum ſine tumultu aut conpeſci aut expelli nõ poſſunt, vt idem ſcribit; tamen vt idem alibi monet: *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, & aliud eſt diſciplina Chriſtianorũ, aliud luxuria vinolentorum.* Non enim debent propterea canes eſſe muti, qui ſpeculatores in domo Dei ſunt, aut ipſa quoque tacere doctrina: quia vigere nõ poteſt diſciplina. Vt ergo tandem veterum iſtud excutiamus, & vel ſeriùs ex ſomno iſto crapulæ & ebrietatis, quo omnes penè conſopiti videmur, euigilemus: quantũ & quale duplex hæc gula peccatũ ſit, diligenter cõſideremus: deinde etiam ne fruſtra hæc à nobis conſiderata fuerint, per ſalutem veſtram omnium rogo, operam demus.

1. Ioan. 2. — *Epiſt. 64.* — *De fide & oper. cap. 5.* — *Cõtra Fauſtum lib. 20. cap. 21.*

Primùm verò qua in re hunc gulæ exceſſum ponimus, breuiter dicemus: poſtea de

eius grauitate & turpitudine copiosiùs disseremus. Ne quis autem miretur cur proximè post auaritiam de gula, non de luxuria egi (quem ordinem vulgaris illa horum capitalium peccatorum enumeratio seruat) id ideo factum est, quia ex hac gula tanquam ex quodam capite omnis luxuriæ species vel propriè promanat, vel certè fouetur & incrementum capit. Excessus cibi & potus in quo gulam ponimus, certis quibusdam circunstantiis violatis consistit, vt omnis alius excessus. Nimirum si in refectione seu in cibo, seu in potu non obseruentur hæc quatuor, quid, quantùm, quomodo, quando. Nam in his omnibus peccari, sacra Scriptura nos docet. Populus ex Ægypto eductus, in eremo occubuit, quia despecto manna, *cibos carnium peteret*, quos lautiores putauit, *& iniquitas Sodomæ fuit saturitas panis & abundantia*: & in modo peccauit Esau, qui magno desiderij æstu *lenticulam fratris sui* concupiuit: filiorum quoque Heli culpa fuit, *quod crudas carnes quærerent, quas postea accuratiùs coquerent.* In tempore quoque peccauit Ionathas, qui mortis penè sententiam accepit, quòd in gustu mellis constitutum edendi tempus anteuertit. Itaque hæ quatuor solent gulæ species assignari. Sed vt quod sentio dicam, mihi vna videtur esse Gulæ species, quando videlicet voluptatis & concupiscentiæ causa, vel tempus edendi præuenitur, vel lautiores cibi sumuntur, vel nimiũ

Gula in 4. consistit.

Num. 11.

Ezech. 16.

Gen. 25.

1. Reg. 2.

1. Reg. 14.

Gulæ peccatum in modo.

ingur

ingurgitatur, vt tota gulæ ratio sit in modo. Etenim vt scribit Augustinus, *populus in eremo, nõ quia carnes desiderauit, sed quia esca desiderio flagrauit, improbari meruit. Et Esau lenticulæ cõcupiscentia deceptus est. Dauid propter aquæ desiderium à se ipso reprehensus, & Dominus non de carne, sed de pane tentatus est.* Adeò refert non quid, aut quãtum, sed quo modo, quo desiderio, qua voluptate quis cibos sumat. Ideo & Ioel; *Vlulate omnes qui bibitis vinũ in dulcedine.* Addit *in dulcedine*, vt totã culpã in voluptate esse intelligas. Alioqui & Helias & Ioannes in eremo carnibus vescentes tẽperantissimè vixerunt. *Et antiquus hostis* (ait Gregorius) *quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam dãnationis intelligit, & primum sibi hominẽ non carne sed pomo subdidit, & secundum hominem non carne sed pane tentauit.* Itaque voluptas & concupiscentia, tota peccati causa est. Ista autem voluptas tempus præuenit, in quantitate peccat, & delicias quærit. Quòd si absque voluptatis æstu, vel tempus præuenitur, vel largiùs comeditur, vel lautiùs prandetur, nimirum aut necessitate, aut alia aliqua rationabili causa impellente, hic gulæ vitium non est.

Confes. li. 10. cap. 31.

Ioel. 1.

Mora li. li. 31. cap. 27.

Dispiciendum hîc porrò in quo consistat hæc voluptas. Neque enim fames voluptas est, etsi cum voluptate coniuncta. Hæc enim vitiosa, illa naturalis est: Hæc superioris ra-

vitiosa, illa naturalis est: Hæc superioris rationis consensu fit, illa inferioris appetitus impulsu non fit sed nascitur. Vt hoc intelligatur, cogitandum est, famem & cibi desiderium morbum quendam esse, ipsos autem cibos medicinam huius morbi. Reficimus enim quotidianas corporis ruinas edendo & bibendo. Vnde Augustinus: *Docuisti me, Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Quemadmodum ergo medicina vt libentiùs ab ægro sumatur, admiscet aliquid dulce medicus: sic Creator omnium Deus, vt conseruetur indiuiduum, voluptatem æduliis & obsoniis immiscuit, vt dum appetitui placent, & palato sapiunt, libentiùs sumantur. Sicuti ergo medicinam palato gratam qui accipit, non vt medicinam, sed vt iucundam & delectabilẽ, nec sanitatis recuperandæ causa, sed voluptatis, medicina abutitur, sic in quotidiana refectione fit. Nec tamen habet hæc voluptas peccatum (ait Sanct. Augustinus) *nisi aut præcedat necessitatis legem, aut excedat necessitatis modum. Hoc est, nisi voluptatis causa fiat, non salutis quod comedas: aut si inter comedendum salutis causa, modum excedat voluptatis causa,* vt plus comedas videlicet quã necessitas postulat, idque vt voluptati indulgeas. *Quod enim saluti satis est, delectationi parum est. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerunq; præire conatur,*

Confes. lib. 10. cap. 31.

Ibidem.

vt eius

vt eius causa fiat, quod salutis causa fieri debet. Edimus enim vt viuamus, non viuimus vt edamus. Et prior quidem voluptatis modus certior est, posterior incertus.

Neque tamen quia incerta est hæc transgreſsio, propterea patrocinium excusationis inde petẽdum: Sed audiendus Saluator nos diligenter monens: *Attendite vobis ne* Luca 21.
fortè grauentur corda vestra in crapula & e-
brietate. Audienda est illa vox, *post concupis-* Eccli. 8.
centias tuas non eas, & à voluptate tua auerte- Eccli. 23.
re. Imitanda quoque & illius pietas, qui orauit: *Aufer à me concupiscentias ventris, & spiritui infrunito ne tradas me.* Leuis quidem excessus in eiusmodi, leuis culpa est: Sed leuis contemptus ad grauiorem inducit. Et excessus grauior moltorum malorum mater est.
Quæ quidem numerantur à Sancto Gre- Moral. li.
gorio, *Multiloquiũ, hebetudo mentis, luxuria,* 31. cap. 27.
scurrilitas, diffluens & ineptus risus. Sed nos hîc grauiora prosequemur; & primũ quidem de crapula, postea de ebrietate agemus. Crapulã autem dum dicimus, nõ quemlibet leuem extra neceſsitatis terminos excessum, qui penè imperceptibilis est, sed graue & enormem atque euidentem excessum intelligimus, qui quidem ex signis euidentibus colligitur, capitis grauedine, stomachi eructatione, somni inquietudine, totius corporis torpore & hebetudine. Crapula id in se primùm habet vt turpis & belluina sit. Quod notauit Apostolus quum de gulo-

sis

Philip. 3.

ſis diceret, *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Hoc eſt, *in quibus debebat pudeſieri, in illis gloriantur*, ait Chryſoſtomus. Quid enim turpius, quàm ventris mancipium eſſe, & beſtiis deteriores fieri? *Sues ex hominibus facit, imò verò etiam ſuibus multò deteriores*, idem Chryſoſtomus. Meritò hoc nomine eos idololatris comparat Apoſtolus, dicens, *Deum ipſorum ventrem illis eſſe.* Quemadmodum Ægyptij aues & canes & crocodilos, aliáſque belluas propter vtilitatem (vt ſcribit Cicero) conſecrarunt, ita horum hominum inſania ventrem colit. Vnde *ſpontaneum dæmonem* hanc crapulam vocant Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus & Baſilius. Planè monſtrum naturæ eſt huiuſmodi, cui iam ex crapula, & diſtentus eſt venter, & inflata eſt facies, & diſtorti oculi, & pedes podagræ compedibus illigati, & nulla denique totius corporis pars ſana, aut integra ſupereſt. Vis autem videre quàm ſit hoc belluinum? Naturæ modum peruertiſti. *Ventrem enim accepiſti* (ait Chryſoſtomus) *vt nutrias non vt ſaginando extendas: vt domineris illius, non vt tibi eum dominum habeas.* At tu (vt Apoſtolus ait) *non Chriſto Domino, ſed ventri tuo ſeruis.* Et quomodo, inquis, ventri ſeruio? Primùm, quia nihil ſpiritualium rerum curas, ſed omnia terrena cogitas: omnem vitam in comeſſationibus inſumis: pauca in pauperes: potiorem partem in ventrem impendis.

In com. ibidem.

Hom. 48. in Math.

Lib. 1. de natura Deorum.

Homil. 15. ad Phil. Rom. 16.

pendis. Deinde ad omnia quæ venter præcipit, ſine mora obedientiam præſtas. Vocat te ad Eccleſiam tempus celebre, vocat ad negotium vel vtilitas aliqua, vel honeſtas. Omnia poſtponis ſi in congerronem incidens ad cauponam inuiteris. An non verò iſtud eſt ventri ſeruire?

Vide autem quàm ſit tibi hæc ſeruitus, non turpis tantùm, ſed & inutilis. *Eſca ventri & venter eſcis* (ait Apoſtolus:) *Deus autem & hunc & has deſtruet.* Ventris nomine gulam intelligit. *Venter autem eſca, & eſcæ ventri curſum quendam inexplebilem reuoluunt, ac ſi à corpore corrupto vermes generentur, & rurſum à vermibus corpus conſumatur. Aut tanquam ſi fluctus vehementer elatus ſit, & reſidens ampliùs nihil efficiat.* Voluptas eſcas appetit, & eſca voluptatem irritat, & hodie opiparè epulatus, cras eaſdem dapes repoſcet. Sic deteſtatur eos Propheta Amos, qui voluptatem in gula ponentes, *arbitrati ſunt hæc tanquam ſtantia, & non tanquam fugientia.* Vbi oſtendit Propheta (ait Chryſoſtomus) *quod gutturis & labiorũ tenus eſt illa fruitio, quæ in cibis ac potibus fit, nec vltra progreditur. Deliciarum enim voluptates vix dum rectè aduenerunt, & dicto citiùs euolarũt.* Cuius etiam ſeruitutis inutilem planè conditionem alio ſimili explicat idem: *Quemadmodum alicui dominæ ſeruit, in ea permanet ſeruitute, nec procedit vlterius: ita qui ventri ſeruit, in eo ſolo conquieſcit, nec vllum aliũ finẽ*

1.Cor.6.

Chriſoſt. Hom. 17. ibidem.

Amos 6.

Hom. 1. in Gen.

Hom.17.in 1.Cor.6.

habet

habet. Quod etiam etiam ſanctus Baſilius eleganter exprimit his verbis: *Venter conciliator eſt peßimæ fidei, penu incuſtoditum, in quod cùm multa repoſueris, noxam quidẽ retinet, at non ſeruat depoſitum. Quidquid infūdis, in pertuſum hauris dolium.* Eſt ergo non ſolum turpis, & inutilis hæc ſeruitus.

Hom. 2. de laudib. ieiunij.

Quid quòd etiam noxia eſt; idque ſanè duobus modis? Corpori & animo. Corpori certè tam aduerſa eſt crapula, quàm ei eſt ſalutaris cibi moderatio. Nempè (vt ſcribit Chriſoſt.) *Nihil gula pernicioſius, obtuſum & craſſum ingenium facit, carnalem animam reddit, cæcat intellectum, nec ſinit vt quicquam perſpiciat.* Sanè iuxta id quod dicere ethnici potuerunt: *Pinguis venter non gignit tenuem ſenſum.* Quod quàm verũ ſit, apta rei ſimilitudine alibi illuſtrat. *Sicut nauis, inquit, oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinẽ vehenda cepit, oneri magnitudine grauata ſubmergitur: ita corporis noſtri natura, ſi plures accepit cibos quã ferat natura, inuectorum grauitatem nõ ferens, in perditionis pelagus demergitur: & nautas & gubernatores & ipſum onus cũ hominibus perdit.* Et alibi eleganter: *Omnẽ orbẽ illuit mare, & venter totũ corpus: Pone illi terminnm naturæ ſufficientiã, quemadmodũ Deus mari poſuit arenã.* Cuius ſanè rei quaſi cauſam afferẽs ex Galeno Sãctus Hieronymus dicit ex eius verbis, *Athletas illos, quorum vita & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu nec ſanos eſſe, animas q́ʒ eorum*

Hom. 44. in Ioan.

In Hom. contra luxuriam.

Hom. 13. in Epiſt. ad Phil.

Contra Iouin. li. 2.

ita

ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutos, nihil tenue, nihil cœleste; sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare. Denique nisi hoc totum nimis verum esse vsus rerum quotidianus doceret, pluribus id fortè probandum videretur. Nunc vt rem omnibus in confesso positam prætermittimus.

At verò quantum & animo crapula officiat, vel illa Saluatoris admonitio docere nos debet, dicentis: *Attendite ne grauentur corda vestra in crapula.* Nempe adeò animi lumen hoc impedit, & Spiritum Dei extinguit, vt Apostolus propterea *castigauerit corpus suum, & in seruitutem redegerit, ne fortè reprobus efficeretur*, aperteque pronunciauerit, adeoque flens dixerit, *inimicos illos esse crucis Christi, quorum Deus venter est.* Planè enim ex diametro cum Christiani hominis professione pugnat, epulonem & bibonem agere. Vnde tanquam maximè inter se opposita & repugnātia hæc ponens Apostolus dicit: *Non in comessationibus, nec in ebrietatibus, sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quæ profectò crapulę pernicies sic à Spiritu Sancto notata diligentiùs est à nobis perpendenda. Nempe hæc talis ac tanta est, vt si rectè, vel anteacta in veteri populo reuoluamus, vel Christiani hominis officium expendamus, nihil vtrique magis aduersum atque repugnans esse inueniemus. Docet

Lucæ 23. *1. Cor. 9.* *Philip. 3.* *Rom. 13.*

ſanè Sanctus Auguſtinus præcipuum hoc eſſe ciuitatis Dei & ciuitatis diaboli, vtriuſque videlicet populi diſcrimen, *quod illi quidem homines ciuitatem Dei conſtituant, qui ſecundum ſpiritum viuunt, illi verò ciuitatem dibaoli qui ſecundum carnem viuunt.* Quod ſi ita eſt, multò ſanè magis huc pertinebunt, qui omnino ex imperio carnis viuunt. Et quid aliud agit Apoſtolus in pleriſque epiſtolis ſuis, quàm ne ſecundum carnem viuamus, *Nihil*, inquit, *damnationis iis qui non ſecundum carnem ambulant*, & rurſum: *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Perpetuam enim hanc eſſe pugnam docet, *vt caro concupiſcat aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem*: quæ quidem etſi in aliis vitiis fortior pugna eſt, nulla tamen quam in gula periculoſior aut pertinacior. Cætera enim vitia fugere, carnem nec fugere, nec à nobis excutere poſſumus: Imò alendus & fouendus hoſtis eſt.

De ciuit. Dei li. 4. cap. 4.

Rom. 8.

Quàm verò ſit (vt cœpimus oſtendere) à Chriſtiana profeſſione alienum, carnis deſideriis obſequi, pulchrè Apoſtolus docet in his verbis: *Fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus.* Quæ verba ſic appoſitè explicat S. Auguſtinus: *vnaquæque res ſecundùm illud viuat, vnde viuit. Anima tua vnde viuit? de Deo tuo. Caro tua vnde viuit? de anima tua. Anima ergo non debitrix eſt carni, vt ſecundùm illam viuat, ſed Deo, vnde viuit.* Vnde alibi idem Auguſtinus: *Corpus*

Rom. 8.

Ser. 13. de verb. Apoſt.

Epiſt. 63.

mutatur per loca & tempora, & est infima natura: Anima mutatur per tempora non loca, & est media natura. Deus nec per tempora nec per loca mutatur, & est summa natura. Media animæ natura inclinatione ad infimum miserè, conuersione ad summum beatè viuit. Itaque qui carni obsequuntur, & animæ & Deo iniuriam faciunt, nihilq; minùs quam filij Dei sunt: hi enim Spiritu Dei, aguntur; Imo carnis asseclæ planè sine Deo esse in hoc mundo videntur. Vnde Augustinus: *In altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione viuere secundum carnem, ad illos homines pertinet, qui Deum non habent.* Rursum nihil magis homines à Deo alienat, quàm crapulæ & carnis cura. Qua in re ne prolixus sim, soli Iudæi docere id nos possunt abundè. Neque enim alia est causa, qua illi Deum deseruerint, quàm quod supra modum gulæ & ventri dediti essent. *Nolite* (inquit Apostolus) *fieri idololatræ, sicut quidã ex ipsis, sicut scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Sic in persona hominum à Deo maximè alienorũ scripsit Esaias: *Edamus & bibamus, cras moriemur.* Denique hoc nomine (vt notat Chrysostomus) *Iudæos potissimum velut gulosos* notare solet Apostolus. Sic Christus in Euangelio: *Comeditis domos viduarum,* & iterum: *Quæritis me quia comedistis ex panibus, & saturati estis.* Sic enim de illis olim Moyses: *Impinguatus, incrassatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem*

Enchirid. cap. 118.

I. Cor. 10.

Esai. 22.
Homil. 32. in Epist. ad Rom.
Matth. 23.
Ioan. 6.
Deut. 32.

ſuum,&c. Et de Sodomitis: *Hæc fuit iniquitas tua, Sodoma, ocium & ſaturitas panis.*

DIXI.

De Ebrietatis peccato.

Oratio Cathetica 6.

QVVM Apoſtolus Paulus (Auditores) quaſi formã Chriſtianæ vitæ daturus, admonénſque noctem iam infidelitatis præ-
Rom. 13. ceſſiſſe, diem verò lucis Euangelicæ aduenisse, ideoque *abiicienda eſſe opera tenebrarum, & induenda arma lucis, & ſicut in die honeſtè ambulandum*, tria potiſſimum tenebrarum & noctis opera, tria vitiorum genera deteſtanda & fugienda vno in loco poſue-
Epiſt. 64. rit, *de quibus* (vt ait Auguſtinus) *innumerabilium peccatorum exurgit ſeges*, ſatis mirari nõ poſſum, quum vnum quidem horum, quod ſecundo loco poſuit, & damnatur ab omnibus, & in Eccleſia vindicatur, duo autem reliqua, primum videlicet & vltimum, tolerabilia videntur hominibus, ita ſanè, vt (quod futurum paulatim metuebat Auguſtinus) iã verè acciderit, nẽpe, vt nec vitia putẽtur, aut ſi vitia, certè leuiora & ferenda. Ait enim vas
Rom. 13. electionis: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo, ſed induite Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Horum ergo triũ cu-

bilia

bilia & impudicitiæ, tam magnum crimen putatur, vt nemo dignus nõ modò Ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum cõmunione videatur, qui se isto peccato maculauerit. Et rectè omnino. Sed quare hoc solum? Cur idem de *comessationibus & ebrietatibus, de contentione & dolo* non indicatur? Quæ demum causa est (vt de contentione & dolo taceamus) vt ebrietates concessæ iam ac licitæ putentur, vt nec in illas Ecclesia animaduertat, nec ab illis fideles abhorreant, imò importunus, scrupulosus, odiosus habeatur, qui eas reprehendere audeat? Quid? Importunus, scrupulosus, aut odio dignus Apostolus Paulus nobis videbitur quum docet, *cum ebriosis hominibus nec cibum quidem sumendum*? Importunus, scrupulosus, aut odio dignus videbitur, quum *ebriosos dicit regnum Dei non possidere*? vbique enim fornicariis, maledicis, homicidis, raptoribus, auaris, ebriosos adiungit, quasi pari impietate notandos, pari pœna condignos. Quid ergo rei est? Improbantur alia, accusantur, damnantur, sola ebrietas vt nulla aut leuis culpa vel approbatur vel dissimulatur? Imo *æquitatis* iam nomen obtinuit. Inuitantes etenim ad ebrietatis haustus, *fac æquum* dicimus. Quæ huius præposteræ dementiæ causa? Non alia, quantùm existimo, quàm quòd ex multitudine quidẽ sibi quisque peccanti applaudit, & eodem pariter crimine omnes constricti, sese inuicem li-

1. Cor. 5.

Galat. 5.

berant & abſoluunt, ſpirituales verò & ab hac fœditate immunes, tacent, conniuent, diſſimulant: aut quia placet humanus dies & blandiens lingua, & offendere metuunt, aut quia parum ſe profecturos exiſtimant, quantumlibet in hoc genere peccantes vel arguerent vel monerent. Quanquam ſanè nec ita de fidelium animis deſperare debebant, aut ſic ab hominibus pendere, vel ab humano die oportebat. Itaque hæc huius mali cauſa eſt. Non agitatur, non flagellatur, non confoditur, indignum & fœdum facinus, non totis dicendi viribus atque lateribus impugnatur, non quale & quàm deteſtandum hoc malum ſit oſtenditur, probatur, demonſtratur. Conabor itaque veſtra omnium æquitate fretus (Auditores) hoc hodie flagitioſum ebrietatis malum, quale & quàm indignum ſit antè oculos omnium veſtrum ponere: vt ſi regnet in menſis, & triumphet in cauponis, ſaltem vapulet in ſcholis, & explodatur à piis.

Periphraſis hominis ebrij.

Hieron. epiſt. 83. Ambro. lib. de Eleemoſ. & ieiunio cap. 16. c. Baſil. homil. 14.

Primùm itaque hominis ebrij periphraſim accipite, vt quale mõſtrum id ſit de quo agimus, ante omnia intelligatis. Itaque homo ebrius animal eſt, ſine ſenſu viuens, ſine vita ſentiens, *viuens mortuus atque ſupultus, ſuperflua creatura, idolum & ſimulacrum gentium; oculos habet & non videt, aures habet & non audit, manus habet & non palpat. Nam & familiariſsimos ſæpe ignorat, & alienis vt domeſticis congreditur.* Vmbras ſæpenumerò

tan

tanquam ſulcos & foueas & loca prærupta tráſilit. Terra illi inſurgere ac in arduũ ferri, montes circummoueri, omnia circũferri videntur. *Timens in faciem ruit, ſolum manibus apprehendit*, & obuia quæque ne præcipitetur palpat, *concurrentibus montibus ſibi videtur includi. Canem ſi viderit, leonẽ arbitratur*: vocem quoque amittit, colore variatur, ore anhelat, oculis igneſcit, labiis tremit, fremit naribus, labitur greſſu, errat iudicio, nutat inceſſu, nec pes nec manus officiũ facit, fœdiſſima latera aliorum manibus portantur ad lectum: paraliticus aut potiùs demoniacus quidam. Nec ſanus corpore, nec animo liber. *Sudat vino corpus, ſi leuiter tetigeris exprimis viuum*, vinum redolet, vinũ eructat, vultus, oculi, nares, vinum ſunt. *Anceps præterea & controuerſum quoddam temulentiæ mancipiũ*: Proteus terreſtris, chameleon domeſticus, varius & multiplex, denique omnia præterquam ſobrius. Nunc enim riſu ſoluitur incondito: mox inconſolabili mœrore deplorat. Nunc magnanimus vt Hectorem aut Achillem dixeris: mox timidus & pauidus pluſquam Damala. Nunc Democritus, mox Heraclitus. Vigilans ſomniat, dormiens litigat. Vita huic ſomnium eſt, ſomnus mors eſt, niſi reſipuerit, euigilare non poteſt. Quid quòd inermis militat? Pocula in tela vertuntur: furor arma miniſtrat. *Regnare ſibi, & exercitibus imperare videtur*: *Annonam donat: diſpenſat pecunias populis, ciuita-*

Baſil. ibidem.

Ambroſ. ibidem cap. 12.

Hieron. in capit. 1. ad Titum. Vide plura apud Senecā lib. 12. Epist. 84 & li. nium natu. hist. lib. 14. c. p. 22.

tates ædificat, qui non habet vnde cauponi potus sui pretium soluat. Denique vt finem faciam, reciprocus quidam est turpitudinis euripus: *vomit vt bibat, bibit vt vomat: Digestio ventris & guttur vno occupantur officio:* ex bipede quadrupes: Dolium ei venter: auris (nō vnde haurias, sed qua infundas,) guttur est. Tale quiddam est homo ebrius, Monstrum horrendum, informe, ingens, animæ cui lumen adēptum. Quæ sanè cùm ita sint, nunquam satis laudare possum Lacedæmoniorum illud nobile institutum, qui seruos mēsæ suæ assistere aliquando iubebant, quos vini amatores esse cognoscerent, quibus facta liberè bibendi potestate ebriis illudebant, vt sic filios ex seruorū turpitudine cōspecta sobrios esse docerent. Quare & nunc quoque ebrius in tabella ad vinum pectus, & per vicos ac plateas appensus, sufficiens, & efficacissimum esse posset contra ebrietatem documentum. Neque enim certè homini cordato & ingenuo fortius contra ebrietatem argumentum esse aliquod posse, quàm hominis egregiè ebrij conspectum existimauerim. Ita ex homine belluam facit, aut quauis etiam bellua deformiorem.

Ebrieta. Mater luxuriæ. Ephes. 5.

Sed pressiùs nunc de hoc ebrietatis vitio agamus, & quot nominibus detestandum sit, via & ratione doceamus. Primùm itaque mater luxuriæ est. *Nolite inebriari vino* (ait Apostolus) *in quo est luxuria: venter enim mero æstuans*, ait Hieronymus, *cito de-*

Epist. 83.

spumat

ſpumat in libidines, & nimis irrigata corporis noſtri terra ſpinas libidinum germinabit, ait Auguſtinus, *Paſcitur enim libido conuiuijs* (ſcribit Ambroſius) *nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Vbi caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat.* Et grauiter ſcribit Hieronymus: *Nunquam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum.* Hinc & in veteri lege Sacerdotibus Templum Dei in vice miniſterij ſui ingreſſuris, vt vxorum, ita & vini vſus interdicitur, quia alterum alterius incentiuum eſt. Non quidem moderatus vſus, quem Timotheo ſuo permiſit Apoſtolus, ſed exceſſus ebrietatis, in quo luxuriam eſſe ſuperiùs dixit. Sanè ſi in ardua & ſtricta ac frequenti abſtinentia, vix tamen carnem edomamus, quid de illis ſperabitur, qui ignem oleo addunt, & accenſam flammam nutriunt? Sanctus Apoſtolus *caſtigat corpus ſuum, vt in ſeruitutem redigat*, quid tu vino hoſtem foues, quo nullum ad libidinis flammam excitandam aptius, nullum ad rationis vſum tollendum fortius, nullum in tentatione dulcius.

ſerm. 56. de temp.
De pœnit. 1. cap. 14.
in com. ad cap. 1. ad Titum.
Numer. 6.
Leuit. 10.
1. Cor. 9.

Affert præterea ebrietas dolores & æſtus corpori incredibiles, & primæuum atque naturalem vini vſum penitus peruertit, vinum enim non ad mœrorē, ſed ad lætitiam datum eſt, dicente Propheta, *Vinum lætificat cor hominis. At quæ ibi lætitia eſt* (ait Chryſo-

Pſal. 103.
Homi. 58. in Matth.

ſtomus) *ſi non es in teipſo , ſi mille doloribus vexaris, ſi tenebris obſeſſus quaſi febricitans hominibus indigeas , qui caput tuum oleo perfundant* ? Patiuntur enim ebrij capitis vertiginem , ſtomachi ructum , ſomnos indigeſtos , & vigilias quidem inſomniis ſimiles , ſomnos verò vigilantis in modum irrequietos , vagos. Quid quòd vinum immoderatè ſumptum veneno quouis deterius & perniciosus eſt ? *Maior vis vini quàm veneni*: (ait Ambroſius) *venenum enim vino interdum curatur , nunquam veneno vinum.* Meritò Moyſes: *fel draconum vinum eorum, venenũ aſpidum inſanabile.* Meritò, inquam, additur *inſanabile*. Multi enim reliquorum ſerpentium veneno curantur , nemo ebrietate ſanatur. Denique veneno caro vulneratur, vino mens.

De Elee. & ieiun. cap. 14.

Deut. 32.

Sed hæc fortaſſe omnia minoris feceris. Nam hoc totum aut ſomnus curabit , quum crapulam edormieris ; aut abſtinentia ſequens reſarciet : aut medici conſilio te repurgabis. Bellè quidem. Te vulneres ſcilicet , te in ignem coniicias , vt chirurgus te poſtea vel ſaucium curet , vel ambuſtum refrigeret. Quæ dementia eſt , ſi hoc non eſt? Multa hîc ebrietatis mala enumerari poſſent , mortes repentinæ , aut violentæ , aut fortuitæ, morbi incurabiles , arcanorum detectio , bonorum dilapidatio , liberorum emendicatio , & ſimilia. Si vt in Hiſpania propter hæreſim ſupplicio affecti, ita hîc qui

Remedium contra. Ebrietatẽ.

ex ebrietate, aut repentina, aut violenta, aut fortuita morte saltem infra vnum aut alterum annum sublati sunt, in catalogum redigerentur à cuiuslibet celebrioris ciuitatis magistratu, & publicè depicti conspicerentur, esset contra ebrietatem præclarum remedium.

Quòd si verò hæc quæ diximus nihilominus parum aut nihil moueant, attendite quæ nūc dicemus. Ludus enim & iocus hæc quæ hactenus diximus, præ vt horum quæ nunc dicemus rabies dabit. Nempe animum & mentem hominis penitus excæcat, & Dei maledictionem euidentem adfert. Disertis verbis exclamat Oseas: *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Quod aliis verbis affirmat Sapiens: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Quam certè mentis excæcationem, non tam ex vi vini, quàm ex Dei vindicta, grauiter improperat Ieremias: *Bibite,* inquit, *& inebriamini, & vomite: cadetis & non resurgetis.* Quod etiam futurum Esaias prædixit, licet more prophetico, tanquam iam factā rem describeret, his verbis: *Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt à veritate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium.* Nempe (vt notat Chrysostomus) *sic inualescit luxus & amentia, vt neque cogitationum multitudo, neque eruditio, aut admonitio, nec pudor nec metus ebrij animum ad officium reuocet, sed tanquam nauis in tempesta-*

Osea 4. *Eccl. 19.* *Ierem. 25.* *Esai. 28.* *Homil. con. luxu. & crapulam.*

te posita, frustra imperante gubernatore, nequicquam sudantibus nautis, in profundum demergitur omnium turpitudinum & vitiorum. Vnde sanè merito scripsit Sapiens: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens.* Itaque qui planè hominem exuere nolit, tanquam à certissima peste ebrietatem fugiat. Ebrietas enim vel semel rationis vsu priuans mentem, peccatum mortale est, quia notabile damnum infert, magis quàm si domo proximum quis eiiceret & spoliaret. Iam verò quàm Deo sit exosum hoc vitium, satis nobis luculenter Scriptura aperuit, vt mirum sit fidelibus & Christianis tam leue aut vulgare hoc peccatum videri potuisse. *Væ,* inquit Esaias, *qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum ebrietatem. Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt*, ait Apostolus: *Nos autem qui diei sumus, sobrij simus.* Nam & hîc, proh pudor, fortitudo quædam laudatur, si quis quàm plurimos cyathos exhaurire norit. Qua de re grauiter sic Augustinus: *Sed dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca iacent, & illos dicunt non esse viros, qui honestè & sobriè stant. Iacent illi prostrati, & viri sunt, stant hi erecti, & viri non sunt. Victor ebrietatis vituperatur, & victus ab ebrietate laudatur.* Quam rem pulchrè & copiosè describit Ambrosius: *Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur:* (vt tragœdiarum actores, sensim primò, mox totis

Prou. 20. *Esai. 5.* *1. Thess. 5.* *Serm. 232. de temp.* *De Elee. & ieiun. cap. 13.*

lateribus vocem emittunt) *vbi res calere caperit, poscunt maioribus poculis, & hoc donec ad mensas perueniatur secundas: vbi consummata fuerint epulæ, putes iam esse surgendum? Tunc de integro potum instaurant suum, & quum consummauerint, tunc inchoare se dicunt.*

Tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. Et ne immoderatum quid arbitreris, mensura apponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur; & ne qua fraus fiat, ad vnguem epotatur. Agonothetes illic furor est, stipendium corporis debilitas, victoriæ præmium, crimen & maledictio. His enim væ intonauit Esaias. Sed multò asperiùs Sapiens ille Salomon: *Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffoßio oculorū? Nónne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Hoc est, *fac æquum*: sic propinatur non vinum sed *væ*, non materia lætitiæ, sed mater maledicti. Eisdem etiam *væ*, intonat Propheta Amos. Illos *vlulare & plangere* iubet Ioël. Nec aliud ferè Scripturæ clamant quā væ & maledictionem ebriis. Et sic intonante Deo, stertemus vsquequo? Quotidianus est ebrius & fœtet, plusquam mortuus, & elatus in feretro, sepultus enim iam dudū nō nisi fortissima voce Christi & gratiæ eius suscitabitur.

Prou.23.

Amos 6.
Ioël 1.

At inquiunt ebriosi homines & vino dediti: Amicitia aliter non retinetur, nisi me præsentibus accommodauero, & ad e-

pulas

puias inuitatus aut non venero, aut veniens æquales hauſtus recuſauero. Reſpondet ſanctus Auguſtinus, *Non ſit tibi amicus, qui Deo te vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus. Itaque ſapienter conſidera, ſi iuſtum ſit, vt te à Deo ſepares, dum te ebrioſo amico adiungis.*

Serm. 23. de temp.

At potens amicus eſt, & niſi acquieuero, aut minatur dura, aut mihi ampliùs non fauebit. Reſpondet iterum Auguſtinus: *Excuſatio iſta falsò obÿcitur. Potens enim ille amicus tuus, ſi Chriſtianus & prudens eſt, etſi tibi ſub hora videatur iraſci, poſtea verò te admirabitur, apud ſe recolens, quod nullis minis aut terroribus à temperantia & ſobrietate dimoueri potueris.* Virtus enim etiam inimicos ſuos laudatores habet. Quid quòd & Deus, ob cuius honorem abſtines, dabit id tibi, vt inuenias gratiam in oculis ſeu amici potentis, ſeu aliorum quorumcunque, quorum offenſiones metuis, quòd non inebrieris cum aliis. Sic Daniel in Babylonia, & Iudith apud Holophernem, temperantiam ſeruantes, gratia tamen maxima polluerunt.

Ser. 232. de temp.

At, inquiet alius, conſuetudine iam bibendi ita ſum implicatus, vt nec ſine ſanitatis periculo, nec ſine graui & arduo labore ab ea deſiſtere valeam. Reſpondet idem Auguſtinus: *Sicut per interualla dierum, potum ſemper addendo & pocula poculis iungendo, ad hanc ebrietatis immanitatem perueniſti,*

Ser. 231. de temp.

ſic

ſic paulatim tibi ſubtrahendo, ad ſobrietatis lucem redeas. Iſtud enim nec ſanitati officiat, nec factu erit admodum difficile: vtcunque eſt, quiduis potiùs pati, quàm in hac inſania perſiſtere oportet, quæ te haud dubiè regno cælorum excludet. Mentiri enim Spiritus Sanctus in Apoſtolo non poteſt.

Sed videtur quibuſdam tolerabilius hoc peccatum eſſe, eò quod natiuū & inolitum quibuſdam gentibus ſit, ideoque non vim tantùm conſuetudinis, ſed & naturæ obtineat; vt quemadmodum quædam gentes naturaliter quodammodo in libidinem pronæ ſunt, aliæ ad iracundiam faciles, nonnullę etiam, propter excellentia ingenia, ad ſuperbiam procliues ſunt, & in ſingulis iſtis, etſi non penitus probentur propterea aut excuſentur talia peccata, minuuntur tamen & tolerantur magis: ſic & in ebrietate fieri debet, ad quam quædam gentes hodie (vt olim de ſua Africa conqueritur Auguſtinus) magis quaſi à natura procliues videntur. Ad hoc ſanè variè reſpondetur. Primùm nemo ad ebrietatem à natura pronus eſſe poteſt: Sola conſuetudo eam introducit. Neque enim vt ad iram, libidinẽ, atque ſuperbiam, vel choleræ & ſanguinis copia accendit, vel ingenij ſubtilitas inducit, ita ad ebrietatem quod impellat aliquid in natura eſt. Eſt quidem ad crapulam magna inclinatio, in iis qui birioſi ſunt & ſtomacho valent. In iis

quoque qui frigidiori sub aëre victitant: Vnde scripsit Seuerus Sulpitius, *edacitatem in Gallis naturam esse, in Græcis gulam*: Nō sic ad potādi libidinem natura impellit. Quum enim sitim siccitas & calor prouocet, videmus sanè hodie homines natura calidissimos (Hispanos, Italos, Gallos) ab omni ebrietate esse alienissimos, contrà frigidos atque phlegmaticos (vt Germanos) in hoc vitium maximè prolabi, vt clarum sit non naturæ sed consuetudini tribuendum esse, quòd quædam gentes magis aliis inebrientur. Deinde si gentium quoddam vitium esset, omnes eo morbo laborare par erat. Nunc autem secus videmus in turba potatorum multos esse abstemios & sobrios, qui cum Augustino homine Afro (inter quos ebrietas maximè regnabat) dicere possent: *Ebrietas, Domine, longè est à me: misereberis mei ne appropinquet mihi. Crapula surrexit interdum seruo tuo: misereberis vt longè fiat à me*. Et certè in crapula difficile est modum tenere, vt ibi cōfitetur Augustinus: Est enim in cibi vsu seruanda proportio geometrica, secundum modum personæ non rei; vt propterea plus aliquibus concedi debeat: nō sic in potus vsu, qui omnibus ferè sanis moderatus sufficit: ebrietatem autem fugere qui vult potest. Imò (vt quod sentio dicam) puto eam multo difficiliùs retineri quàm vitari, & maiorem non dubito esse in ebrietatis vsu dolorem & difficultatem, quàm in eius fu-

Libr. 3. de vita S. Martini.

Confess. libr. 10. cap. 31.

ga.In crapula ſaturitas deſiderium tollit, vt non facilè modus excedatur. In ebrietate quo plus bibitur, eo plus ſititur: vt præpoſteræ huic cupiditati videatur hanc natura pænam inflixiſſe, ſibi vt ipſa flagellum & carnifex ſit, ſéque ipſa torqueat & cruciet.

DIXI.

De peccato Luxuriæ.

Oratio Catechetica 7.

CApitalia quæ dicuntur peccata (Auditores) etſi ſeptem quidem vulgò enumerentur, ſintque omnibus vel mediocriter in religione Chriſtiana inſtitutis notiſſima, tamen ſingulas naturas & cauſas diligenter perpendenti, non niſi tria eſſe videbuntur, ea videlicet de quibus hactenus egimus & diſputauimus; *Superbia, auaritia, gula.* Etenim ex ſuperbia, inuidiam atque iracundiam naſci; ex gula luxuriam & ortum & incrementa capere, ex auaritia & rerum terrenarum appetitione atque delectatione acediam gigni, Dei rerúmque diuinarum iniuriam, obliuionem, contemptum conſequi, nemini obſcurum aut dubium eſſe arbitror. Partim enim hæc ita ſe habere iam in ſuperioribus homiliis oſtendimus, partim res ipſa loquitur: certè ſacra Scriptura apertiſſimè demonſtrat. *In domo ſuperborum* (ait de ira Sapiens) *nõ deſunt iur-*

Capitalia peccata tria.

Prou.13.

gia,&

Galat. 5. *gia*: & de inuidia Apoſtolus: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Rurſum de luxuria: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* De accedià verò auaritiæ comite Saluator verbis aperſiſſimis: *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Ita iram & inuidiam parit ſuperbia, fouet luxuriam gula, inducit acediam auaritia. Hac profectò de cauſa ſcripſit Apoſtolus Ioannes: *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Quicquid enim in mundo affectu mundano atque ſeculari appetitur, quicquid præter rationem & Dei voluntatem concupiſcimus, profectò vel tanquam delectabile abſolutè volumus, vel tanquam excellens aliquod ſub ſpecie boni ardui atque difficilis proſequimur. At verò omne quod ſimpliciter præter rationem delectat, concupiſcentia eſt vel naturalis, vt in gula, vel animalis, vt in oculorum concupiſcentia, & rerum externarum vana cupiditate; ſiue illa curioſitas ſiue auaritia nominetur. Excellentis autem & ardui boni appetitio (quæ præter rationem fit) ſuperbia vitæ eſt. Ad hunc ergo triplicem affectum quicquid in mundo ſecũdùm mundum appetitur reduci poteſt. Cuius etiam rei documentum illuſtre eſt, & primi hominis lapſus & ſecundi Adami tentatio. Nam *in peccato primi hominis* (ait Chriſoſtomus) *facta eſt de vna cupiditate trina cupiditas.* Illi enim

Ephes. 5.

Math. 6.

1. Ioan. 2.

In serm. de lapſu primi hominis.

concu

concupiscentia carnis erat *lignum suaue ad escam*; concupiscentia oculorum, *speciosum ad videndum*, superbia vitæ, *eritis sicut dij*. Christus autem gulæ tentationem vicit, dicendo: *Non in solo pane viuit homo, &c.* Auaritiam calcauit dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Non enim propter omnia regna mundi & gloriam eorum, adorandum esse Mammonam docuit, sed soli Deo seruiendum. Superbiam postremò deuicit, *nolens se de pinnaculo deijcere*, aut Deum tentare, suámve potentiam vanè & inutiliter ostentare. Et sic quidem *consummata omni tentatione* (ait Lucas) diabolus recessit ab eo, docens nos in hac triplici tentatione omnem nostram pugnam cum diabolo consistere, & hac triplici tentatione deuicta, diabolum recedere, & non aliam superesse tentationem. Sic sanè docet satis clarè diuus Augustinus, non vno in loco. Quæ si ita sint, iam omnia capitalia peccata percurrimus: iam capita & fontes omnium peccatorum ostédimus, nec quod in hoc genere disputari ampliùs debet, superest.

Gen. 2.

Math. 4.

Luca 4.

In Psal. 8. & de vera relig. c. 38.

Verùm enimuerò summa ratione non caret, quòd adhuc alia quatuor capitalia peccata adiiciantur: *luxuria, ira, inuidia, & acedia.* Etenim licet hæc quidem quatuor ab alijs illis tribus (vt iam ostensum est) promineant atque decurrant: sunt tamen & ipsa aliorum plurimorum peccatorum ini-

Cur alia 4. capit. pecc. ponũtur.

tia & capita: quaſi in decurſu fluminis noui quidam exorti fontes, qui & fluminis alueum vehementer augeant, & ipſi tamen ſuos riuos emittant, ſuas aquas habeant: quæ quidem omnes ſimul coniunctæ, vt cætera flumina ſe in mare exonerant, & inexhauſtam aquarum abyſſum conſtituunt: ita animam peccatricem in profundum demergunt, & eò præcipitant, vbi nullus eſt exitus, nulla redemptio: *Iudicia enim Dei abyſſus multa.* Rurſus etſi quidem ex aliis illis tribus, vt plurimum hæc cætera pullulent, tamen & abſque ſuperbia interdum ira atque inuidia ſurrepunt: & abſque gulæ ſtudio etiam in ſordibus & parſimonia libido ſæpe graſſatur: & excelſus ipſe contemptor pecuniæ & rerum terrenarum calcator torpore & deſidia in cultu diuino nihilominùs interdum corripitur. Quapropter meritò de his ſeorſim agendum erat, tum quia ipſa peccata per ſe grauiſſima ſunt, tum quia aliorum & capita atque initia eſſe oſtenduntur: etſi non prima, tamen proxima: quaſique patres, quum cætera auorum locum teneant. Primò itaque de luxuria dicemus.

Pſalm. 35.

Eſt luxuria appetitus inordinatus eius voluptatis quæ carni propria eſt, quam libidinem dicimus. Eius quidem omnes ſpecies in decalogo pertractauimus, adulteriũ, fornicationem, concubinatum, inceſtum, & ſi quid his turpius eſt. Nunc de eo tantùm

agamus

agamus vt capitale eſt: id eſt, quatenus peccatorum atque malorum caput eſt, dicturi poſtea de eius grauitate & turpitudine: non externa tantùm, ſed & mentali: ac poſtremò qua ratione aut prorſus deuitari, aut excuti demùm atque profligari hæc turpitudo queat.

Primùm itaque propria luxuriæ filia eſt animi ipſius noſtri cæcitas & caligo: & vt videlicet qui ei operam dat, ſenſu & affectu omni rerum diuinarum exuatur. Cuius quidem rei rationes variæ ſunt. Etenim huius generis voluptas partim hominem totum ſic carni immergit, vt de diuinis rebus cogitare ipſe non poſſit: partim ita contaminat, vt etiam affulgentem veritatem capere non valeat. Nempe alia carnis peccata vnam aliquam corporis partem occupant, vt ventrem gula, linguam blaſphemia, manus rapinæ, &c. Libido vt per tactum fit, ita totum corpus, in quo toto tangendi vis eſt, occupat. Quo fortè ſenſu Apoſtolus dixerit: *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Rurſus ſicut illam maximè agunt, quæ per contactum agunt, non per influentiam tantùm: & ille actus maximè proprius eſt, qui elicitus eſt, non imperatus tantùm: ita maximè propria carnis turpitudo eſt, illa quæ per totius corporis contactum fit, & totius corporis elicitus actus eſt. Nam hac de cauſa dixit Apoſtolus: *qui adhæret meretrici, vnum*

1.Cor.6.

1.Cor.6.

corpus cum ea efficitur: & rursum, *cætera peccata extra corpus fiunt*, id est, non ita totum corpus occupant: *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, id est, *totum corpus coinquinatur*, (ait Chrysostomus) *quod vel ex balneis illis liquet, quibus statim post coitum vtuntur fornicarij*.

In Com. ibidem.

Iam verò quia quantò magis carni immergimur, tantò minùs animus vigorem suum obtinet, multóque longiùs à diuino spiritu absumus, fit idcirco, vt hoc peccatum maximè cæcitatem quandam atque caliginem menti inducat. Etenim non sic album nigro, aut calidum frigido, vt Spiritus carni repugnat: Perpetua est, & ἄσπονδος inter hanc & illum pugna. Vt ergo totus frigidus nihil caloris habet, ita totus carnalis nihil spiritus. Huiusmodi autem est luxuriæ deditus. Quapropter sic hac de re scripsit Ambrosius aptè & appositè: *Cætera* (inquit) *peccata etsi per corpus fiant, non tamen animũ ita carnali concupiscentia faciunt obstrictum atque obnoxium, quemadmodum commisceri facit animam cum corpore, quasiq́ ei immergi vsus libidinis. Tunc enim ita agglutinatur anima corpori, vt in ipso momento nihil aliud cogitare liceat horum aut intendere. Quia ipsam mentem captiuam subdit submersio illa & absorbitio libidinis.* Nempe quum contrariorum eadem sit ratio, quemadmodum in spiritu rapti, extra corpus esse videntur, nullumq́ue corporis sensum habere, ita

In com. in 1. Cor. 6.

corpo

corpore & carne capti extra animam ſunt, nihilq́ue cum anima & ſpiritu commune habent. Quam rem aptè deſcribit beatus Auguſtinus: *Libido*, inquit, *non ſolùm totum corpus, nec ſolùm extrinſecus, ſed etiam intrinſecus vindicat, totúmque commouet hominem, animi ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto: ita vt momento ipſo temporis, quo ad fœdiſsimæ eius voluptatis peruenitur extremum, penè omnis acies atque vigilia cogitationis obruatur.* Hinc profectò definiuit Hippocrates coitum eſſe μικρὴν ἐπιληψίαν, paruum quemdam morbum comitialem. Hinc etiam ſcripſit ethnicus homo, hominem in tali voluptate poſitum nihil agitare mente, nihil cogitatione conſequi poſſe. Sed certiùs & veriùs hoc nos Scriptura ſacra & verbo & exemplo docet: *Fornicatio* (inquit Oſeas) *& vinum, & ebrietas auferunt cor.* Et Sapiens: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Quod duorum ſapientiſſimorum regum triſti exemplo didicimus. Dauid enim amore excœcatus, aliena vxore abuſus eſt, & innocentem Vriam occidi iuſſit. De Salomone ſcribitur, quòd *auerterunt mulieres cor illius.* Nec aliam ob cauſam cæcus cupido à poëtis fingitur, quanquam plerique illorum alia cæcitate non in rerum diuinarum & honeſtarum ignoratione, ſed in cæco rei amatæ iudicio, hanc cæcitatem poſuerunt. Nos verò talem ac tantam eſſe

De ciuit. Dei lib. 14. cap. 16.

Cic. in Catone Maiore.

Oſeæ 4.

Eccl. 19.

2. Reg. 11.

3. Reg. 11.

hanc cæcitatem dicimus, quæ penitus & veræ rationis vſum, & Dei ac rerum cæleſtium intelligentiam prorſus auferat.

Illud tamen hîc obiter animaduertendum eſt, ne legitimum ipſum atque laudabilem actum coniugalem, huius quoque cæcitatis vitio obnoxium docere videamur, hoc totum quod diximus in illicito tantum, effreni & impudico concubitu accidere. Etenim licitus coniugalis copulæ actus non ſolùm propter finem quem intendit, prolem vid. ſine culpa eſt & laudabilis, verùm etiam propter eundem finem ſuſceptus formaliter & in ſe ipſo honeſtus & moderatus eſſe poteſt. *Etenim verecundius æſtuat concupiſcentia carnis, quàm temperat parentalis affectus*, ait Auguſtinus. Et ſapienter docet Tobias, hunc voluptatis dæmonem *in ijs ſolùm dominari, qui ſolius voluptatis cauſa congrediuntur. Qui*, inquit, *cõiugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacẽt, ſicut equus & mulus*, habet poteſtatem dæmon ſuper eos, id eſt, illi à libidine vincuntur, & captiuam mentem tenet carnis imperium. Cuius ſanè rei cauſam aptè & acutè docet ſanctus Baſilius his verbis: *Quum præcedens in animo ratio ſiue intentio honeſta, vt prolis cauſa, animas atque voluntates coniugũ propter apparentem illam neceſſitatem & prolis deſiderium coniungit, meritò certè tali animo ac voluntate vnitas coniugum mentes, ipſius*

De bono cõiug. cap. 3.

Tob. 6.

Lib. de vera virginitate.

quoque

quoque carnis, cui alligatæ mentes sunt, non nisi similis & honesta consequitur vnitas: vt quod honesta intentione aggressi sunt, non nisi honestè proficiant. *At verò si animæ initio nihil aliud quàm voluptatem sibi proponant, & hac ratione caro naturali suo impetu in voluptatem præceps feratur, fit profectò vt mentem ipsam sibi alligatam vnà pertrahant,* & in voluptatis barathrum demergāt, sibi videlicet iam consentientem, non initiò vt par erat repugnantem. Sic Augustinus suprà: *animi simul affectu cũ carnis appetitu coniũcto.* Sanè sicuti iunctis copiis rebellium & ipsorum principum, pessundatur necessariò tota respublica, fitque bellum plusquam ciuile, quale Iulij Cæsaris rectè vocat Lucanus: *Bella per Aemathios plusquam ciuilia campos, Iusq; datum sceleri canimus.* Nam in hac libidine Anima princeps cum carne rebelli sese coniungit, vt se mutuò perdant. Est itaque huius cæcitatis & captiuæ mentis causa, non quidem omnis carnalis copulæ vsus, sed aut illicitus aut immoderatus: vtrobique enim, & caro vi sua mentem captiuam trahit, & Deo permittente dæmon in animam potestatem habet.

Huius etiam cæcitatis in mente ex libidine promanantis alia ratio fortè magis propria est. Primus homo animi elatione grauiter peccans, & *volens esse sicut Deus*, in pœnam superbiæ, carnis rebellionem accepit, quæ lex foret in membris captiuam *Gen. 2.*

mentem peccato trahens. De qua conqueritur ad Romanos Paulus: *Video aliam legem* Rom. 7. *in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati.* Lex mentis nostræ est subiici Deo: sicut proxima lex carnis erat subiici menti. Nunc autem facta mentis rebellione in Deum, & cessante illa subiectione, consecuta est rebellio carnis in mentem, & cessauit eius subiectio. *Nam in illius peccati pœna, nihil aliud inobedientiæ, quàm inobedientia retributa est. Nulla enim est alia hominis miseria, quam aduersus semetipsum sui ipsius inobedientia.* August. de ciuitat. Dei lib. 14 cap. 15. Adeò ergo cæcitatem mentis inducit libido carnis, vt propter hanc cæcitatem inducendam inflicta fuerit hæc libido; lex, inquam, carnis, quæ captiuam teneret mentem. Relinquitur autem etiam in renatis ac iustis hæc lex in carne, ad agonem & certamen, sicut Idumæi & Philistæi in terra Chanaam populo Israëlitico, cui si per luxuriam cedimus, captiui sub hoste tenemur. Adeò nihil magis propriè captiuam mentem tenet, quã effrenis libido, vt etiam illa frenata & omni studio compressa, repugnare & molesta esse tamen non desinat. Quid ergo fiet si liberas illi laxemus habenas?

Iam verò non solùm impedit, quasique sub iugo astrictos tenet, ne diuina cogitemus, aut assurgere aliquando ex luto possimus: sed præterea affulgentem nobis di

uinæ veritatis lucem, vel Deo reuelante, vel aliis aut docentibus aut monentibus; è mentis oculis prorſus ſubducit. Etenim dixit Saluator: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Itaque quemadmodum vitrum per ſpeculum maculis aſperſum, aut luto oblitum, lumen non transfundit, aut imaginem reddit: ita cor impurum libidinis ſpurcitia inquinatum, nec diuinum lumen admittit, nec honeſtas aliquas cogitationes repræſentat. Eſt enim putridiſſima quædã cloaca & omnium vitiorum ſentina cor libidini deditum. Qualis autem quiſque eſt, talis ſibi finis videtur. Quare vt ægro ſanitas, auaro diuitiæ, in æſtu frigus, in frigore æſtus ſummum bonum videtur, ita libidinis mancipio ſola ſapit libido. Habet etenim hoc libidinis in ſe vitium, vt omnem ſapientiæ atque virtutis guſtum & vſum præter morem cæterorum vitiorum excludat. Nam auarus caſtus eſſe poteſt, ſuperbus liberalis, inuidus & iracundus auaritia carere: ſola libido, nec eſſe tantùm hæc non poteſt, ſed ne de his quidem cogitare. Affert ergo his de cauſis maximam animi cæcitatem. *Matth. 5. Theophylactus in com. ibid.*

Ex hac autem mentis cæcitate atque caligine alia illa mala atque peccata oriuntur, quæ huic capitali luxuriæ vitio tribui ſolent: Scilicet amor ſui ipſius immodicus, vt cultus corporis, cuticulæ cura, & vniuerſa mollities, odium & obliuio Dei: quoad ſpi-

tualia verò, confusio & horror quidam sui ipsius. Effœminatio omnium animi virium, vt nihil virile aut forte vel amplecti possit vel cogitare. Quam omnem animi deiectionem expressit Iob, quum diceret: *dulcedo illius vermis*. In his enim verbis (ait Gregorius) *luxuriosi hominis & voluptatis deditι quanta sit cæcitas, monstrat*. Si enim *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, quod totum naturæ debilitas affert: quid fiet quum fœda se libido adiunxerit, atque nefaria consuetudine alteram deteriorem naturam superinduxerit? Fiet sanè quod Augustinus scribit: *ex voluntate peruersa fit libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas*. Hæc vitiorum cathena est, qua tenet nos obstrictos dura seruitus carnis.

Iob.24. *Moral.li.16.cap.31.* *Sap.9.* *Confess.lib.8.cap.5.*

Nunc quot nominibus & causis detestandum hoc peccati genus sit ostendamus. Primùm itaque id habet hoc vitium, vt præ cæteris omnibus vitiis suam turpitudinem ipsummet prodat: & loquatur. Ita enim fœdum & naturæ ipsi aduersum atque contrarium hoc malum est, vt hominum prorsus omnium aspectum atque oculos fugiat. Et quum publicè quidem iurare, irasci, percutere, blasphemare, homines non pudere: libidinis opus perpetrare in publico ipsos etiam Cynicos puduerit. *Tentauit ille quidem*

Luxuria quot modis detestãda.

Cynicorum princeps (vt ſcribit Auguſtinus) *id quod iuſtum eſt in vxore, etiam & palàm agere; nec in vico, nec in platea concubitum deuitare: vicit tamen pudor naturalis opinionem huius erroris. Et quod Diogenes ſemel impudentiſsimè fecit, à Cynicis fieri poſtea ceſſatum eſt: plusq́; valuit pudor vt erubeſcerent homines hominibus, quàm error vt homines canibus ſimiles eſſe affectarent.* Hunc naturæ pudorem illi *ficulnea folia*, quibus & Adam & Eua ſe contexerunt poſt peccatum, ſatis claro argumento demonſtrant. Quæ ſanè naturæ vis ab illis primis parentibus ſic in omnem poſteritatem dimanauit, vt nec in balneis, nec in palæſtris, etiam maximè barbari, huius turpitudinis inſtrumentum, ſub conſpectu eſſe paterentur. *Imò* (vt ſcribit Auguſtinus) *per opacas Indiæ ſolitudines, quum quidā nudi philoſophentur, vnde Gymnoſophiſtæ nominantur, adhibent tamē genitalibus tegumēta, quibus per cætera membrorum carent.*

De ciuit. Dei lib. 14. c. 20.

Gen. 21.

Ibidem cap. 16.

Sed quid pluribus argumentis turpitudinem pudendi huius vitij naturæ ipſi aduerſam conor oſtendere, quum hæc iam ipſa de his rebus diſputatio non ſine quodam pudore & meo & veſtro fiat? Quid enim aliud in cauſa eſt quod de ſuperbia, auaritia, gula, de ira, inuidia, acedia non ſolùm abſque pudore, ſed etiam grauiter & laudabiliter diſputatur: de libidine iſta carnali verecundè, parcè, quaſique inuiti & vos auditis & nos loquimur, niſi quòd ineſt huic

peccato naturalis quædam turpitudo, quam nulla hominum barbaries auferre potest? Nempe idcirco etiam de his rebus loqui
1.Cor.6. prohibuit quodammodo Apostolus: *Fornicatio*, inquit, *scurrilitas, & omnis immunditia nec nominetur in vobis*. Fœdum flagitium, quod ne nominare fas est, & nisi tamen nominetur & agitetur, nisi monendo, hortando à pijs pectoribus depellatur, maculat, corrumpit, occidit animam. Cimicem referre mihi hoc peccatum videtur, qui molestiam magnam viuus, fœtorem ingratum facit attritus: mordet, pungit, nec conquiescere sinit viuus: compressus tetrum odorem & maculam in cute relinquit. Quin & aceruo fimi simile hoc peccatũ videtur: qui sanè agitatus & dispersus, tetrum emittit fœtorem, intactus verò subiectam terram corrumpit, aut adiacentia loca perpetuo putore inficit, interdum & serpentes gignit. Sic enim libidinis peccatum commotum & agitatum castis auribus displicet: Intactum & dissimulatum subiectum animum corrumpit, & ad tetra facinora inducit vel impellit potiùs: fœdum ergo, sed eò liberius hoc peccatum videtur, quòd ea turpitudine se polluat, quam à verecundo monitore audire non posset.

Prætermissa, itaque hac naturali eius turpitudine ad alia veniamus. Nẽpe Christianæ pietati nihil magis aduersum est, quàm fœdæ huius libidinis immoderatus & illici-

tus extra matrimonium vſus. Quod quidem ſic Apoſtolus docet: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis à fornicatione. vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poßidere in ſanctificatione & honore, non in paßione deſiderij, ſicut gentes quæ Deum non nouerunt.* Aperto & lato diſcrimine Chriſtianum pectus à gentibus ſine Deo diſterminat, vt videlicet ſanctificati ſimus Deo. Enimuerò quandam totius hominis ſanctitatem, præter internam illam ſolius animi iuſtitiam, poſtulat à nobis Deus. Ideo vtrumque Zacharias aptè coniunxit, dicens, *Vt ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris.* Hęc animi propria eſt, illa & animi & corporis. De qua quidem corporis ſanctitate iterum monet Apoſtolus: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Et ratio eſt, quia vult Deus *vt per bona opera noſtra glorificetur etiam apud homines.* Illud autem glorificationis genus maximè euidẽs eſt hominibus & aſpectabile, quod in corporis ſanctitate & integritate conſiſtit.

1. Theſ. 4. — *Luc. 1.* — *1. Cor. 6.* — *Matth. 5.*

Rurſum cæteræ virtutes, vt pietas, charitas, fides, humilitas, & aliæ omnes, animum quidem omnes ſanctificant, corpus autem non niſi per redundantiã quandam & concomitantiam. Sola pudicitia & animum & corpus ſanctificat: Dicente Apoſtolo: *quæ innupta eſt, cogitat vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu:* ſola libido & animum & corpus polluit, vt ſuprà diximus. Præterea ſi corpora

1. Cor. 7.

noſtra in puluere perpetuo manſura eſſent, nec ſic tamen polluẽdum erat organum ſalutis noſtræ. Nunc cùm glorificandum in cælo ſit, quàm turpiter facimus? Denique alia huius ratio eſt eáque potiſſima, quia corpora etiam noſtra, non animi tantùm, conſecrata ſunt Deo. *Non eſtis veſtri*, (ait Apo-

1.Cor.6.

ſtolus) *empti eſtis pretio magno*. Sumus enim capitis Chriſti membra, *vos*, inquit, *eſtis corpus Chriſti membra de membro*. Quo quidem

1.Cor.12.

poſito ſic argumentatur Apoſtolus: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? At verò corpus non fornicationi ſed Domino*. Quod alibi apertius dicit: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ*. Quam ſanè Apoſtoli argumentationem in re familiari & ſimili illuſtrat ſanctus Chryſoſtomus: *Locauimus videlicet carnem noſtram diabolo lenoni grauiſſimo, Chriſtus eam eripuit. Iam igitur in fornicem denuo reuocabis, tãto viro locatam & arctiſſimo fœdere cõiunctam?* Dicit enim Apoſtolus: *Deſpõdi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*. Rurſum quod de glorificando Deo per corpus noſtrum diximus, ſic idem ibidem illuſtrat: *Non ita cælum dies & nox, quemadmodũ ſancta anima Deũ glorificat. Impij enim cùm cælum intuentur, non erubeſcunt: quum autem ſanctum hominẽ conſpiciunt caſtitatis cultorẽ*

1.Cor.6. Rom.6. Homil. 18. in 1.Cor.6. 2. Cor. 11. Hom. 5. de laud. Paul.

confunduntur & verecundantur. In hoc sensu alibi dicit: *Pauli animam vniuerso mundo præstantiorem & excellentiorem fuisse*.

Quid verò quòd corpora nostra sic sanctificata sunt, vt templa sint sancti Spiritus? vnde sic ratiocinatur Apostolus: *An nescitis quia membra vestra tẽplum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Et iterum ad eosdẽ: *Nescitis quia tẽplum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templũ Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Videtis (ait Augustinus) *quomodo minatur. Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domũ Dei?* Et alibi: *Si auderet aliquis in Ecclesia facere adulterium inter istos parietes, quid illò esset sceleratius?* Cogitate nihil minus facere quum fornicaris. Ne verò disputationem hanc figuratam putes, intellige & obserua diligẽter quod Apostolus dicit: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Itaque si figuratè tantum, aut metaphoricè te putes esse templũ Dei, planè quoque figuratũ te & metaphoricum Christianũ puta.

1.Cor.6.
2.Cor.3.
Lib. de 10. Chordis cap. 10.
Serm. 16. de verb. Domini.
Rom. 4.

Nihil hîc dico de imagine Dei, ad quam facti sumus, quam sceleratè per hanc libidinis fœditatem violamus. An verò parum hoc nobis videatur? Audiamus hac de re Augustinum: *Facis iniuriam Deo, dum teipsum corrũpis. Et vnde inquis? Vnde tibi facit iniuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est, aut etiam*

Lib. de 10. Chordis. cap. 10.

ami::i cuiuſpiam tui honorandi? Quum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis, non attendis cuius imaginem violaſti, cui contumeliã feciſti? Aut ſi attendis vel extra noxiam te eſſe putas, vel te leuiter deliquiſſe? Tu verò non contaminas tantùm imaginem Dei, ſed & transformas in amatæ rei dominium: facis enim *membra meretricis*, ait Apoſtolus. Non dixit: coniungis meretrici, aut contaminas ex illo meretricio contactu. Hæc, Auditores, aut ſingula, aut plæraque ſi attentiùs perpendere ac frequentiùs recolere velitis, ad huius flagitij turpitudinem toto pectore deteſtandam nihil, vti ſpero, deſiderabitis.

1 Cor. 6.

DIXI.

De mentali Mæchia.

Oratio Catechetica 8.

QVæ aduerſus Luxuriæ & vniuerſæ mæchiæ peccatum (Auditores) in poſtrema homilia dicta ſunt, externum tantũ modò huius peccati actum ac reatum perſtringere, aperire, & explicare viſa ſunt. Quicquid enim de Luxuriæ aut prolibus, aut effectibus, aut varia turpitudine illic diſſeruimus, ipſum planè fornicationis aut mæchiæ cuiuſuis actum conſummatum

ſpectabat. Atqui quum in Euangelio Saluator dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum in ea, iam mœchatus eſt in corde ſuo*, & ipſe veteris populi Decalogus ita loquatur: *Non concupiſces vxorem proximi tui*, quo in præcepto non proximi tantùm iniuriam, ſed & ipſum & mentalis impudicitiæ crimen vetare legiſlator voluit, *& prouidere* (vt Catechiſmus Tridentinus ſapienter obſeruauit) *ne appetitionibus noſtris nos ipſi læderemur, ſicuti in ſuperioribus præceptis proſpexit, ne quis nos aut noſtra violaret*: De ipſa quoque mentali mæchia & impudicitia omni, ſola mente concepta, vt aliquid dicatur, operæpretium duxi. In hoc quippe genere & frequentiùs peccatur, (quum ab externo actu ipſos impudiciſſimos plurima præpediant, pudicitiæ autem & caſtitatis ſtudioſi ab eo non ſecus quàm à facie colubri fugiant,) & præterea difficiliùs, quoties & quādo peccatur, deprehenditur. De vtroque igitur, ſi placet, in hodierna Catecheſi diſſeremus. Primùm de ipſa impudicitia mentali, ſolo conſenſu animi perpetrata, quale & quantum flagitium eſt. Tum conſenſus ille, quibus ſignis & argumentis deprehendi queat, datus ne fuerit an repudiatus. Vos diligenter quæſo quod facitis in vtroque attendite. *Matt. 5.*

Ad primū igitur quod attinet, Chriſti redēptoris verba repetam⁹ *Quicūq; viderit mulierē ad cōcupiſcēdū in ea*, id eſt, ſic viderit, vt iā cō-

cupiſcẽtia & libidine feratur potiendi ea, *iã mœchatus eſt in corde ſuo.* Nempe adulterij mater, & impudici animi impudica & obſcœna proles hæc concupiſcentia ſola, hæc interna animi libido eſt. Putas te leuiter deliquiſſe? Iam *mœchatus es in corde tuo.* Vide autem quàm graue hoc ſit: Primùm coram Deo, *Qui ſcrutatur corda & renes*, mœchus es. Quo modo te innocenté putas, aut pœnas euaſurum ſperas, qui Iudice inſpiciente legem violaſti? Eſto: Ad facinus pedem non moueris, nempe opportunum non erat: Infamiam metuiſti: Deprehenſum te iri formidaſti: Mariti zelum extimuiſti: ne illa flagitio non conſentiret, dubitaſti. Hæc facinus non excuſant, ſed tuam ignauiam arguunt. Quicquid in te erat, feciſti. Solo animo accedere potuiſti, illud feciſti. Quod ad damnationem ſatis eſt patraſti. Hoc ſanè metuẽs Propheta, dixit: *Prouidebam ſemper Dominum in conſpectu meo, quoniam a dextris eſt mihi ne commouear.* Rogatus Baſilius quæ cauſa inanium & impiarum cogitationum, reſpondit: *Inanis quæ ſolet eſſe mentis agitatio, naſcitur ex inertia. Iners autem ex eo efficitur mens, ſeq; plus iuſto dat otioſæ ſecuritati, quia Deum adeſſe non credit, qui ſcrutetur corda & renes.* Illud ergo recordari hîc debemus quod Apoſtolus ſcribit: *Illuminabit Deus abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Et quod Deus Dauidi dixit, hoc ipſum

Pſal. 7.

Pſalm. 13.

In reg. breu. ad Interrogat. 21.

1. Cor. 4.

2. Reg. 12.

pec

Peccatum prolapso: *Tu fecisti in abscondito: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis huius.* Hoc præ oculis habere debemus. *Omnia quæ facimus* (ait Basilius, tractans de hoc carnis vitio) *veluti in tabula picta per partes diligenter expressa cernentur: Neque ea solùm quæ in opus proruperunt, sed etiam quæ sine effectu operis in animi tabula inscriptæ fuerunt cogitationes.* Deum ergo præsentem & iudicantem cogitemus. Hoc ille beatissimus Iob perspexisse videtur. Sic enim scribit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem habet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? Nónne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Nempe Author munditiæ nisi in mundo corde habitare non vult. Et hæres Dei esse non potest, qui carnis immunditia polluitur. Notandum autem est quod hîc notat Gregorius: *Necdum ad restrictionem carnis reuelata gratiæ districtior censura processerat, quæ non solùm corporis sed & cordis lasciuiam reprehendit. Et tamen beatus Iob exempla munditiæ, quæ non acceperat, tradebat. Hinc ergo colligendum est, cum quanta culpa nunc etiam post præceptum in grauibus delinquitur, cum tanta laude antea a grauibus abstinebatur.* Addemus porrò S. Gregorij argumēto. Necdum lex de non concupiscendo lata est: Nam ante Moysis tempora Iob vixerat:

In lib. de vera Virg.

Iob. 31.

Moral li. 21. cap. 9.

Quartus ab Eſau erat, imò Iobis hiſtoriæ ab aliis author, ab aliis tranſlator Moyſes fuiſſe putatur. Et tamen peccatum hoc eſſe ſciebat & cauebat.

De pœnitentia. Homil. 8.

Porrò qui in corde iam mæchatus eſt, quid reliqui habet, in quo ſanum ſe putet? *Corde corruptio*, ait Chryſoſtomus, *quæ deinde vtilitas in reliquo corpore? Quemadmodum enim in plantis & lignis, areſcente radice, reliqua omnia repudiamus: ſic & in homine cùm cor perierit, incaſſum eſt inde reliqua corporis ſanitas. Auriga perit, fractus, deiectus eſt: Diſſolutè poſtmodum, ne dicam periculoſè, equi currunt.* Itaque ad omnia pietatis officia ſtupidus & ineptus eſt, qui iam in corde mœchatus eſt. Ideo cæca cupido & cæcus huius generis amor, ab ijs etiam qui Deum ignorabant, prædicabatur. Et Comicus ipſe ait: *In amore modum tenere, eſt cum ratione inſanire velle.* Hominis enim mentem excæcat, iudicij & rationis vſu priuat, quaſique abiecta caligine ne Deum vel quæ Dei ſunt videat, prorſus impedit. Hanc autem cæcitatem Saluator efficaciùs docet, dum dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quorum ergo immundum & impurum cor eſt, Deum videre nequeunt: Nempe (vt pulchrè in ea verba Theophylactus, *quemadmodum ſpeculum, ſi purum eſt, imagines accipit, & ad viuum refert, maculis verò aſperſum, ad hoc munus ineptum eſt: ſic hominis animus purus quidē à libidinis labe*

Matt. 5.

In Com. ibidem.

Deum

Deum peruidet, corruptus verò nec ea quæ rationis sunt perspicit.

Rursum, qui alienam vxorem concupiscis, si solutus es, & castitatem professus, hîc voto excidisti, fidem abnegasti, apostata factus es. At concupiui tantùm, inquis, nihil autem operatus sum. Corpore quidem nihil, at animo quicquid potuisti. Castitas autem animi virtus est magis quàm corporis. *Virginem quidem* (ait Basilius) *nulla ex parte mœchari conuenit, non lingua, non aure, non oculo, non tactu, non vllo denique sensu: Sed virgo esse debet virginis auditus, visus, tactus, motus denique omnis. Ac corpus quidem veluti delubrum quoddam est ac sponsi thalamus: Anima verò sponsa ipsa est, quæ, sponsi amplexibus fruitura, nitidissima ac purissima esse debet. Ille enim sponsus diligenter omnia rimatur & discutit non solùm quæ mortalibus patent obtutibus, sed etiam quæ in intimis animi recessibus latent.* Hæc ille. Quo modo ergo de delubro & thalamo tā sollicitus es, ipsam autem sponsam negligis? Considera mihi nuptiarum splendorem & ritum. *Nónne ibi* (ait Chrysostomus) *licet thalami sint velis aureis operti, licet mulierum adsint pulcherrimarum chori, licet rosæ, licet coronæ, licet ancillæ, licet amici, licet sponsus, licet omnes decus & pulchritudinem seruent, sola autem sponsa si sit deformis, si turpis, si minùs hilaris, aut minùs rectè valens, perit totum nuptiarum illarum decus, non delectatur sponsus,*

Lib. de vera virginitate.

Homil. ad pop. Antioch.

contristantur amici, omnia mœror & luctus occupat, quasiq; solitudo ante ostium? Sic omnino de anima cogita quæ turpiter iam mœchata est, & graui scelere laborat, licet cætera integra adhuc maneant nuptiarum ornamenta. Sanè adeò in animi sancto proposito castitas consistit, vt etiam violato per vim corpore, hoc tamen integro promanente, non amittatur castitas, sed coronatur. Disputat hoc pulchrè Augustinus: *Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ.* Hìc ergo, in animo, in corde castitatem serua, qui castitatis professor es. Hęc si integra maneat castus es, quicquid de corpore fiat. Hæc si violetur, vt corpore nihil agas, periit pudicitia, periit castitas.

De Ciuit. Dei lib. I. cap. 18.

Si solutus es sine voto castitatis, grauiter tamen peccas concupiscendo. Verùm grauiùs, inquis, pecco, si opus perpetro. Primũ Pharisaicum est, *quod deforis est calicis & paropsidis mundare, intus autem plenos esse rapinis & immunditia: Aut iurare per templum & non per aurum, cùm templum sanctificet aurum*: Sic qui corpus non coinquinant, animam autem, qui corpus sanctificat, coinquinare non cessant. Deinde an quia minus malum est, alienam vxorem tantummodò concupiscere, ideo malum non est? Certè dum opus perpetras, minus quoque

Matt. 23.

malum

malum erit, quàm si maritum quoque occidisses. Ergo & opus ipsum perpetrabis, & præclarè te fecisse dices, quòd merito pepærceris? *Beneficium hoc latronũ est*, ait Tullius, *vitam quibus non ademerint, dedisse*. Atqui rectissimè docent scholastici plærique Doctores, externum actum malum interno malo actui nihil malitiæ superaddere; sed in solo interno actu totam malitiam residere, etsi ex aliis circumstantiis externi actus grauiùs interdum reos constituant. Sed esto. Demus in ipso opere grauiùs peccari. At si rectè perpendas etiam dum opus perpetras, quantum ad te ipsum attinet, nõ alia ratione augetur peccatum, nisi quòd ipsa interim concupiscentia magis ac magis inardescit, ipsoq́; opere, sicut ignis accedẽte materia, magis accẽditur ac inflãmatur. Itaq; magis tũc peccas, quia vehemẽtiùs cõcupiscis. Noli ergo securus esse tanquam de leuiori peccato, quisquis es, qui alienã vxorem concupiscis.

Quòd si iã ipse vxorẽ habes, & alienã porrò appetis, multum accedit iniquitati: *Nõ enim par facinus admittit*, ait Chryso. *qui vxoris solatio subnixus, decore mulieris irretitur, atque is qui eiusmodi auxilio & infirmitatis remedio destitutus, hac interdum peste corripitur*. Rursum alienam concupiscens, tuã negligis, contemnis. Amorem huius generis illi soli debitum sceleratè alteri impartis. Nam debitum cõiugale, quod inuicem debent vir & vxor, non in solo opere coniu-

Contra vituperatores vitæ mona. lib. 3.

1. Cor.7. gali, ſed maximè in amore ipſo coniugali conſiſtit. Quare quod nos legimus, *vxori vir debitum reddat*, Græcus textus habet, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, debitam beneuolentiam. Conceſſa porrò eſt tibi vxor, ne
1. Cor.7. forniceris. *Propter fornicationem habeat* (*vel ſeruet potius*, ἐχέτω) *vnuſquiſque vxorem ſuã.* Tu verò & remedium mali accipis, & malum præterea admittis. Indulgentia gaudere vis, & eo cuius nomine tibi indulgetur ſimul potiri.

Sed difficile eſt, inquis, vt me à concupiſcentia reprimam, nec amare non poſſum quod mihi tam amabile ſe offert. Eſto laborioſum ſit: At præmium conſidera. Pulchrè Chryſoſtomus: *Tu cum mulierem vidis formoſam ſplendentem oculis, ornatam ſtola, libidine titillantem, aſpectu blandem, &c. reſpice deſuper, quod te manet præmium, ſi a concupiſcentia conſenſum cohibueris: vidiſti conſeruam, Dominum conſidera, atque omnino morbum curabis. Gubernator nauis mare iam ingreſſurus ſi fluctus tantùm & ſcopulos reſpiciat quos habet mare, nuſquam è portu ſcapha digredietur: Emolumenta autem qua ex nauigatione conſequetur cogitans, mari ſe committere non veretur.* Sit ergo laborioſum & difficile: At præmium continentiæ, quo nullum eſt maius, fortiter meditare.

De pœniten. Homil.8.

Quid quòd nec difficile eſt, ſi rectè perpendamus? Difficile ſanè eſt concupiſcentiis iam immerſum ab opere perpetrando

abſti

abſtinere. At quid eſt facilius quàm nõ concupiſcentem ab actu temperare? *Multo faciliùs cuſtodit ne mæchetur in corpore quiſquis non mæchatur in corde.* Ideo ergo mandat legiſlator ne concupiſcas, vt facili negotio ab opere abſtineas. Quod ſi concupiſcentiam tibi permiſiſſet, opus interdixiſſet, meritò difficultatem deprecarere. *Quid enim facilius exiſtimas dicere: Exquire mulieres, ſcrutare alienas formas, cõcupiſce audacter, ſed concupiſcentiam vince, an ſic dicere, fornacem fuge, ad flammam non acceſſeris, concupiſcentiæ ardores caue, ne forte in libidinis opus tandem pertraharis.* Nónne tritum eſt? Principiis obſta, ſerò medicina paratur. Optimè ergo nobis conſuluit, qui concupiſcentias reprimendas docuit.

Auguſt. de Serm. Dom. in monte lib. 1. cap. 23.

Chryſoſt. de pæn. Hom. 8.

Adhuc verò concupiſcere non formidas? Neſcis huius peccati maximã eſſe lubricitatem, vt etiam inde denominetur? Neſcis quòd *qui modica ſpernit paulatim decidet?* vide autem quid agas. Qui adulterium horres & fornicationis opus deteſtaris, de tacita autem concupiſcẽtia ſecurus es, id agis vt mox in opus ipſum penè inuitus decidas. Pulchrè Chryſoſtomus: *Iuxta præcipitium vadens, quantumuis non decidat, tremit tamen, & ſæpenumero ab ipſo ſubuerſus tremore decidit: Ita non procul peccata fugiens, ſed ſecus ipſa vadens, in timore & periculo viuit, ſæpius & in ipſa prolabitur.* Adde quòd huius peccati præcipitium maximè eſt lubricum: adeò vt

Eccli. 19.

Homil. 15. ad pop. Antioch.

1.Cor.6. vt Apoſtolus dixerit, *fugite fornicationem.* Duplex ergo tibi imminet periculum: Et in præcipitio ambulas; & lubricus eſt locus.

Iam verò ſi nec inſpector Deus pudorem tibi incutit, nec cordis quæ inde ſequitur corruptela, & deprauatio te reprimit, nec profeſſæ caſtitatis ſacrilega violatio, ſi virgo & virginitatis profeſſores, nec thori tui iniuria ſi cõiugatus es quicquam te moueat, ſi nec cautela maximi boni te docet, nec periculum maioris mali te terret, vt alienam vxorem non concupiſcas, id eſt, ſi nullam hîc nec Dei nec tui rationem habes, at ſaltem luculenta quam proximo infers iniuria te permoueat, & ab hac iniquiſſima, non turpiſſima tantùm concupiſcentia te reprimat. S.Tho.in catena ad cap.5. Matth. Hanc iniuriam putabant Iudæi in ablatione vxoris alienæ conſiſtere, non in ſimplici concubitu aut concubendi deſiderio. Grauis & fædus error. Quanto ſan- Iob 31. ctiùs ſanctiſſimus Iob, qui huius præcepti etiam nondum dati, naturæ lumine vim perſpiciens ſic potuit ſcribere? *Si ſecutus eſt oculus meus cor meum, & ſi deceptũ eſt cor meum ſuper mulierem, ſcortum alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij.* Integerrima & iuſtiſſima commendatio ex naturæ lumi- Matth.5. ne petita: quæ dicit, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si ergo alienam vxorem concupiſco, abutatur & alius mea. Si autem hoc mihi durum videtur, cur aliud facio? Nec tam eſt hoc Prophetæ votum quàm

diuini iudicij demóſtratio. Videamus enim quare hoc ſibi tantum malum vel optauit vel denunciauit. Subiicit: *Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima, ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Non leue peccatum, ſed *iniquitas maxima*, & *reatus huius facinoris* (ait Gregorius) *non tantum vſque ad inquinationem maculat, ſed vſque ad perditionem vorat. Omnia quoque genimina, id eſt, omnes operationes animæ bonas eradicat. Nulla quippe ante Dei oculos iuſtitiæ ſunt opera, quæ corruptionis contagio monſtrantur immunda.* Si nihil aliud in huius concupiſcentiæ deteſtationem dici poſſet, vel iſtud ſolum ſufficeret. Sed exemplo rem illuſtremus. Dauid, *Vriæ vxorem vidit & concupiuit.* Præceptum iſtud violauit. Quid ſequutum eſt? Concupiſcentiæ conſenſum, *nefarium opus*: Operis turpitudinem, *innocentis Vriæ cædes: idq́ gladio filiorum Ammon.* Quid autem Deus totius huius facti teſtis ac Iudex? Pœnitẽti quidem peccatum remittit. Iuſtitiæ tamen vigorem non remiſit. Quænam illa? nam vel hinc ſceleris grauitatem perdiſcas. Vt enim pulchrè notauit Chryſoſtomus: *Conſueuit Deus præſtituere pœnas peccatis debitas in vno quopiam & altero item, & per illas legem ſancire in vniuerſum omnibus de his quæ & illos apprehenſura ſunt, ſuppliciis.* Vnde & S. Auguſtinus: *Quis dubitauerit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt grauius vindicatũ?* Op-

In expoſ. ibidem.

2. *Reg.* 12.

Iuſtitiæ diuinæ Canon.

E*narrat. in cap.*4. E*ſaiæ.*

*De Bapt. con. Donat. lib.*2. *cap.*6.

*Lib.*6. *con. Parmen.*

tatus,

lib.6. cont. Parmen.

tatus. *Esse distantiam delictorum aut remissio testatur aut pœna.* Et paulo post: *Deus in singulis rebus exemplorum posuit formam, vt sit quod imputet inuitantibus prima peccata,* &c. Itaque pœnam huius concupiscentiæ videamus, simúlque iniuriæ magnitudinem, quæ proximo in hoc peccati genere fit, consideremus. Eam nobis idem Chrysostomus explicabit: *Quoniam Dauid,* inquit, *mulierem, quæ erat in mariti potestate, tanquam regnum alienum occupauerat, (cuilibet enim viro regnum est concors coniunx, & non sic rex purpuram & diadema, vt vir vxorem diligit) propterea qui ex vxore natus ei erat filius, insurrexit tyrannus, volens arripere regnum patris: Vi rapuit, & vim passus est.* Atque hoc quidẽ vna pœna erat. Sed & aliam Scriptura describit ei similem, quam iustus Iob sibi exoptauit. Dicit Dauidi Nathan Propheta: *Tollam vxores in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.* Quod & factum fuisse sacra Historia narrat: *Tetenderunt Absalon tabernaculum in solario, ingressusq́; est ad concubinas patris sui corã vniuerso Israële.* Sed hîc obiiciet fortè quispiam, quòd hæc omnia Dauidi acciderunt, quia non concupiuit tantùm alienam vxorem, sed & rapuit, insuper & maritum occidit. Respõdetur. Hoc ille fecit, Rex enim erat & potens. Tu autem homo priuatus & tenuioris fortunæ, qui nihilominus concupiscis, fruíque desideras, ideo hæc nõ

Homil. in Psal.3.

2. Reg.12.

2. Reg.16.

addis,

addis, quia non potes. Haud dubiè qui in actum plenè consentit, si potestatem haberet, omnia tentaret, vt re concupita frueretur. Nec quia cætera non addit, vlla ratione excusatur; sed quia iniustè concupiuit, meritò accusatur. Itaque non dubitauit Iob solam *deceptionem cordis super aliena muliere, iniquitatem maximam* pronunciare, *atque ignem vsque ad perditionem deuorantem & omnia eradicantem genimina.* Meritò ergo formidet & expectet, qui alienas temerè concupiscit vxores, vt sua quoque ab aliis concupiscatur. Hãc enim quasi talionis pœnam præstituere videtur Scriptura. Hoc igitur si durum, graue, & indignum videtur, idem de nobis ipsis, quum id facimus, statuamus. Quid quòd alienas vxores concupiscere zelotypiæ suspicioné, & inuidiæ inter proximos fomes est? Sanè etiam hodie in quibusdã orbis Christiani partibus, vbi hoc carnis vitium maximè regnat, vbi frequentia adulteria, vbi fornicatio vix crimen habetur, tanta est hominum zelotypia, ita omnia suspicionum plena sunt, vt tutò alienam coniugem præsente marito inspicere etiam honestissimè non liceat: vt velatæ ac laruatæ per vicos ac plateas incedant coniugatæ, vt rarissimè è domo prodeãt, vix ad Ecclesiam, nisi præcipuis ac celeberrimis festis, contendere permittantur. Vnde hæc tanta tam misera zelotypia, tam odiosæ suspiciones, tam iniqua iudicia, tam fœda trepidatio, tan-

tus & tam ſollicitus metus, tam arcta cuſtodia, quaſique vxoris quidem carcer, mariti verò crux perpetua? Non aliunde ſanè quàm ex hac fœda concupiſcentia, quæ quia non reſtringitur, quia liberis habenis in paſcua non ſua promiſcuè excurrere permittitur, hæc & multò his maiora ac plura mala conſequuntur. Nam præterquam quòd propter aliorum concupiſcentias ipſi ſumus ſolliciti & ſuſpicione pleni; fit etiam vt eo morbo nos ipſi laborãtes, & ad alienas vxores concupiſcendas procliues exiſtentes, de cæteris idem ſuſpicemur; de omnibus malè iudicemus; nemini fidamus; omnes tanquam hoſtes ſuſpectos habeamus. Quo malo nihil deterius, & paci ac charitati magis aduerſum, quod haud dubiè hic ſpectaſſe Legiſlator putandus eſt: *Qui Zelotypia laborant* (ait Chryſoſtomus) *bonum pacis amittunt, & ſi omnibus aliis affluunt bonis, hoc vno miſeri & in perpetuo cruciatu viuunt.* Oeſtro quodam perciti videntur, qui hoc inſano zelo laborant. Vnde Sapiens: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.*

Homil. 38. in Gen.

Prou. 6.

Nec verò à proximo hic tantùm metuendum eſt, ſed & à Deo: Hanc enim iniuſtitiam vehementer in Scripturis perſequuturum ſe ſignificat. Deſcribens peccata populi Ieremias, propter quæ in captiuitatem abducendus erat: *Equi*, inquit, *amatores in*

Ierem. 5.

fœminas

fœminas & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Nunquid non super his visitabo, ait Dominus, & in gente tali non vlciscetur anima mea?

Postremò intelligendum est, in hoc præcepto prohiberi omnem illicitam carnis concupiscentiam, non vxoris tantùm alienæ, sed cuiuscunque tandem mulieris: sicuti in præcepto, *Non mœchaberis*, omnis actus impudicus prohibetur. Contra quam concupiscentiam sic in genere acceptam quàm strenuè ac diligenter iusti ac sancti viri pugnauerint audiamus, si placet, Chrysostomum. *Audimus*, inquit, *& hoc nostro seculo quòd nonnulli ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices montium currentes, & in continuis vigiliis ac inedia summa viuentes, & omnem disciplinæ seueritatem ostendentes, ab omnibus mulieribus segregati, ascendere in domunculam & tugurium, vt hac ratione concupiscentiæ furorem comprimant.* Quantum ergo illi & quàm graue hoc malum iudicabant, quod tantis laboribus edomandum putabant? B. Ephren *à mulieris aspectu tanquam à colubro fugiebat*. Plura hac de re inferiùs.

Serm. contra Concubinarios.

So. Zom. lib. 3. c. 15.

Atque hæc quidem de ipsa mentali impudicitia hactenus. Maior nunc difficultas restat rectè discernere, quando ista mentalis impudicitia cum reatu peccati mortalis perpetratur, quando voluntas in malum

consue

consenserit: quod vt rectè intelligatur, nescio an quicquam aliud in tota Catechetica disciplina magis sit necessarium. Etenim homines non omnino pessimi, à flagitiis ipsis, si non propter Deum & legem prohibentem, saltem multis aliis de causis vel se reprimunt vel arcentur. Flagitium quoque ita decernere, vt aliquo iam conatu opus moliātur, nemo non ferè turpe esse & nefarium videt. Sed sola cogitatione factum decernere, ita vt ad facti tamen executionem nec verbum proferas, nec digitum moueas, quando fiat, pauci aut sciunt, aut scire laborant. Multo autem pauciores discernunt, quando in cogitationis delectatione modum excesserint, & lethaliter sæpenumero peccantes, ne venialiter quidem se deliquisse existimant. Itaque vt hoc discernatur, iuuabimus quantum possumus piorum fidelium pios conatus, qui vitam Christiano dignam agere, & ab omni concupiscentia, in qua damnatio est, penitus temperare desiderant. Ad hoc autem intelligendum quasdam quasi regulas ponemus, in quibus totam hanc difficultatem, quantum in re tam obscura fieri potest, aperiemus.

Regulæ ad peccati cōsensū explorandum.

1. Regula.

Prima sit de voluntatis humanæ natura ac definitione. *Voluntas est actus animi, quo rem præcognitam liberè eligimus.* Tunc ergo aliquid velle dicimur, quando id quod volumus, intellectu & iudicio prius consulto, liberè nulla nobis vi facta approbamus. Si

Si ergo vel intellectus noster priùs rem deliberatè non examinasset, nostræque voluntatis imperio determinandam non dedisset, vel etiam si intellectus suum officium fecisset, tamen voluntas ab aliquo extrinseco ita violentè impelleretur, vt liberè quod probaret eligere non posset, neutiquam rem hanc voluisse dici possimus. Qui enim nesciens (quum scire non teneretur) aliquid facit quod fecisse non debuit, non tanquam volens punitur aut reprehenditur. Rursum quando sciens quidem, sed vehementer perterritus aut commotus, præter rationis iudicium fecit, inuitus hoc dicitur non volens fecisse, & apud homines culpa caret. Cupiditati ergo alicui in animo suborienti is consentire dicendus est, & voluntas consensum præbuisse qui cupiditatem illam malam esse intelligens & pacato iudicio videns, nulla tamen vi impulsus, ei assensus est.

Rursum sebeunte animum cupiditate, fit vt animus aliis in rebus occupatus non aduertat, pergat tamen, voluat ac reuoluat, sed aliud agens, interimque ex naturali corruptione delectetur. Hic peccatum nullum est: Naturale enim & inuoluntarium hoc totum est. *Impedire enim ne tale quid animum subeat, in potestate nostra non est*, vt multis in locis docet B. Augustinus. Inde animũ statim auertere possemus quidem, si vigilantissimi essemus. Sed tantam à nobis vigilantiam in hac infirmitate nostra Deus à

2. Regula

De lib. ar. lib. 3. cap. 25. de spi. & lit. ca. 33. De cõsensu euãgel. lib. 3. cap. 13.

Contra Iulianum lib. 2. nobis non exigit. Ponit exemplum Augustinus. *Sine peccato semper essemus, donec sanaretur concupiscentiæ malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed in quibus ab illo rebellante, & si non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, vnde quotidie dicamus: Dimitte nobis debita nostra.* Ponit ergo hîc peccatum in consensu, idque duplex, lethale & veniale. Exemplum autem dat de veniali. *Sicut*, inquit, *continentes quando in carnis cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, nec gerentes decernentis, sed intentionem mentis non sicut oportet ne illò incidat inde auertentes, aut si inciderit inde rapientes.* Non fit ergo consensus lethalis, incidẽdo in tales cogitationes, vel etiam illis aliquantulum immorando, dummodo vel flagitium ipsum non decernimus, vel decernẽtis speciem & animum non gerimus, hoc est, perinde illa cogitatione turpi nos non oblectamus, ac si in opere ipso versaremur. Hic enim in vtroque decernit animus, & matura habita deliberatione definit. Ibi nihil decreuit, sed surreptione quadam facta in tales cogitationes inducitur, & non aduertendo eisdem delectatur, naturaliter potiùs quàm voluntariè. Delectatio porrò actus cogitati (non ipsius cogitationis) in materia peccati
1.2. q. 74. art. 8. mortalis est peccatum mortale, si consensus adsit, id est, si ratio superior aut probet aut non repellat, vt rectè docet S. Thom.

At

At verò (quod tertiæ regulæ loco erit) ſi aduertit ſe quis in cogitatione illicita conſtitutum eſſe, nec ſtatim ſe inde auertit, ſed prudens & ſciens, ea ſe oblectet, eam foueat, in ea permaneat, iam conſenſum præbuit. Iam id fit quod Auguſtinus ſuperiùs dixit: *Quum enim ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, tenens & voluens libenter, quæ ſtatim vt attigerunt animum* (id eſt ſuperiorem rationem) *reſpui debuerunt, peccatum eſſe negandum non eſt*, ait alibi idem Auguſtinus. Tenet enim & voluit libenter, qui ſciens & prudens hoc facit. Qui enim inuitus patitur turpes delectationes, & obſcænas cogitationes, is licet voluat fortaſſe, teneatque, quia inſtat tentator, nec innocentem animum importunus hoſtis dimittit, non tamen tenet libenter. 3. *Regula.* *de Gen. ad lit. lib. 2. cap. 12.*

Porrò etiam in eo qui libenter immoratur & voluit obſcæna multùm intereſt, an ex negligentia & oſcitantia hoc faciat, quadamque tæpiditate & ſalutis ſuæ incuria, an ex certo propoſito volens ſe ita oblectare, & illa veluti veneris idola turpi cogitatione propria fabricata adorare. In vtroque quidem peccatur, & ſi negligentia ſupina eſt ac craſſa, mortaliter in materia peccati mortalis: ſed in poſteriori genere grauiùs multo. 4. *Regula.*

Ad hæc omnia meliùs intelligenda, retinendæ ſunt illæ ſanctorum Patrum Auguſtini, Gregorij, Hieronymi, præclaræ & dilucidæ in peccatorũ gradibus diſtinctio-

Vbi supra.

nes. Proponit Augustinus exemplum *serpentis suggerentis* & tentantis ad malum. Hanc *suggestionem* vocat, & post eum Gregorius: προπατέιαν vocat Hieron. Deinde *mulieris pomum accipientis*, & in eo se oblectantis, sed nondum manducantis. Hanc *delectationem* vocat, cum Gregorio *Passionem*, Hieronymus. Postremò virum manducantem, *Consensum* vocat *in opus*, à superiori ratione profectum. Atque hæ quidem regulæ docebunt, dederítne voluntas consensum an non.

Epist. ad Augusti Angiorũ Apost.
In com. ad capit. 5. Matth.

Indicia pleni consensus dati aut nõ dati.

Sed expedit etiam scire quibus quasi indiciis hoc in nobis deprehendere possimus. Quum enim nobis ipsis facilè parçamus & indulgeamus, fit nimium sæpe, vt cum consensu & voluntate immorati illicito desiderio, nihil tamen aliud quàm *surreptionem quandam* id totum interpretamur. Et hic sanè magnas tenebras, densamque caliginem, altera illa originalis peccati pœna, *ignorantia*, & vulnerati intellectus cœcitas, nondum in renatis plenè sanata, animo effundit. Vt cogamur in plurimis clamare: *Ab occultis meis munda me Domine.* Quædam tamen, ni fallor, indicia sunt, quibus obseruatis, optimè sperare possumus, cupiditati consensum minimè nos præbuisse. Ea nunc breuiter commemorabo.

Psal. 9.

Et præclari quidem illi Christi athletæ Antonij, Benedicti, Hieronymi, Francisci apertissima quædam habebant indicia, qui-

bus concupiſcentiæ conſenſum depulerunt. Contrario videlicet actu illuſtri & vehementi tentationis impetum repellentes. Antonius, *ſigno crucis admirabili fide erecto*, fugam Dæmonum viſibilem aſpexit. Benedictus carnis illecebra tentatus, *in ſpinas & vepres ſe coniecit*. Et vt clauus clauo pellitur, ſic dolorem adurentis carnis alio dolore expulit. Beatus Hieronymus contra carnis tentationes ſaxo nudum pectus tundere ſolitus perhibetur. Sic enim alicubi ſcribit: *A pectoris non ceſſaui verberibus*. B. Franciſcus in aquas gelidiſſimas brumali tempore ſe proripuit. Alij cilicio ſe ſtatim induere, ieiunia ſibi indicere: etiam flagris ſcipſos conſcindere. Sed vehementiora iſta, apertiſſima tamen repugnantis voluntatis indicia.

Athanaſ. in vita. S. Antonij

Gregor. Dial. lib. 2. cap. 2.

Ad Euſtoch. [illegible] de virginit. cuſtod.

Bonauentura in vita eius c. 5.

Illud noſtris vſibus accõmodatius quod Apoſtolus feciſſe ſe ſcribit: *Datus eſt*, inquit, *mihi ſtimulus carnis qui me colaphiſet*. Ecce cõcupiſcentiam ſatis vehementem. Sed quo indicio deprehendis, Apoſtole, te illi aſſenſum non dediſſe? *Ter*, inquit, *Dominum rogaui, vt auferret à me*. Ad orationem ergo confugit. Præclarum indicium. Ad hanc quaſi ſacram anchoram qui ſe recipit, tentationum fluctibus immergi non poteſt. Vis ergo ſcire an conſenſum dederis? Vide an iam tentatus, vota, ſuſpiria, deſideria emiſeris, an ingemueris, an Deum precatus fueris:

Vide plura exẽpla in Promp. n. Moral. Domin. 2. poſt Pentecoſten. tex. 6.

2. Cor. 12.

Sed & istud nobile indicium est, planeque obuium, quod Saluator ad infirmitaté nostram erudiendam & adiuuandam exercere ipse voluit, sicuti & propter nos tentari voluit: Tentatus à Satana Christus in omni concupiscentiæ genere, carnis, mundi & superbiæ, quid agit? Scutum fidei obiicit, & eius quasi vmbone aduersarij ictus repellit.

Matt. 4. *Scriptum est*, inquit, *Dominum Deum tuum non tentabis. Scriptum est: Dominum* Deum *tuum adorabis, & illi soli seruies.* Si hoc in tentatione feceris, minimè te assensum præbuisse, sed gloriosè vicisse ne dubitaueris.

1. Ioan. 5. *Hac est enim victoria quæ vincit mundum fides nostra.*

Ephes. 6. Et Apostolus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Itaque tentanti & allicienti carni vel hoc responde: *Scriptum est: Non concupisces vxorem proximi tui.* Et illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam mœchatus est in corde suo.*

Leuiora, sed etiam pia & certa satis indicia reluctantis animi, & refragantis voluntatis indicia sunt, *Signo crucis se signare, pectus statim tundere, excreare, quasique intrantem Satanam exufflare.* Hunc Christianorum veterem morem fuisse tota antiquitas clamat. Augustinus: *Omnis qui ad aliquod*

Homi. 21. ex homiliis. *malum opus currit, si fortè pedem impegerit, signat os suum, si fortè ex aliqua causa quis expauescat, continuò se signat.* Quod in subito

ter

terrore Christianos fecisse hic Augustinus scribit, idem in tentationibus faciunt qui eas metuunt & exhorrescunt. Illustre est exemplum Iuliani Apostatæ, quod his verbis refert Gregorius Nazianzenus: *Re inexpectata* (aspectu Dæmonum in idolorum sacrificiis) *perculsus, ad crucem & vetus confugit remedium, hácque ob timorem signatur.* Copiosè auté hac de re & luculenter Chrysostomus: *Quando*, inquit, *cruce te signas, vniuersam tecum crucis causam vertis, & iræ ac reliquarum passionum incẽdia extinguis.* Paulus dixit: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Pretium hîc crucem appellauit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente priùs formare oportet. Si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum Dæmonum, cùm hastam videat, qua lethale vulnus accepit, congredi tecum audebit.* Hæc ille.

Inuectiua 1. in Iulianum.

Homi. in Mat. c. 10. & Ho. 8. in cap. 3. ad Col.

Percutiebat pectus publicanus, vt tristitiam de peccatis commissis indicaret. Eodem indicio cauentur ne committantur. *Tunsio enim pectoris, obtritio cordis*, ait Augustinus. Et vt alibi rem definit: *Tundere pectus quid est aliud, quàm arguere quod latet in pectore & euidenti pulsu occultum castigare peccatum?* Manifestum ergo indicium refragantis animi est pectus tundere, quum pulsat iniqua cogitatio.

Enar. in Psal. 31. Serm. 8. de verb. Dom. & de temp. Serm. 48.

Exufflandi quoque peccatum modum in more Christianis fuisse, vel ex Tertulliano

Lib. 2. ad vxorem. discimus: *Latebis ne tu* (ad vxorẽ ait, ne alij viro nubat eo moriente) *cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum statu expuis, cùm etiam per noctem exurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari?* Immundum flatu expuere, nihil aliud erat, quàm cogitationem immundam tali signo dato repellere.

4\. Aliud adhuc indicium est, statim cogitare de passione Christi, de vita Christi, totaque eius sanctitate. In concupiscentiis enim istis ac tentationum motibus quasi in tempestatum fluctibus agitamur. *Et si in mentem non venit, Christus* (ait Augustinus) *dormit in naue pectoris nostri. Tunc enim in nobis dormit Christus, si obliti fuerimus passionum Christi. Tunc in nobis vigilat, quum earum meminerimus.* De hoc indicij genere scriptum est: *Beatus qui timebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Ad quæ verba Augustinus: *Qui sunt paruuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, paruula est. Ne robur accipiat dum adhuc paruula est, occide illam. Sed times ne elisa non moriatur ad petram elide illam. Petra est Christus. Nolite fratres libenter colloqui cum cupiditatibus vestris: Ad petram elidite. In petra ædificamini, si non vultis tolli à ventis aut à pluuia.* Hæc Augustinus eleganter huius victoriæ indicium explicans.

Enarrat. in Psalm. 54.

Psal. 136.

Enarrat. ibidem.

Certum

Certum porrò est & pium indicium ingruente tentatione, de nouissimis cogitare. *Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.* Qui mortis necessitatem & incertitudinem: qui extremi iudicij seueritatem: qui grauissimos gehennæ cruciatus, & beatissima cæli gaudia, oboriente praua cogitatione, recolit, argumento est eum tali cogitationi locum non dedisse, sed quadam, quasi antidoto venenum illud expulisse. Eccl.7.

Nec illud postremò incertum indicium est, statim se alicui pio & honesto negotio dare, *Desideria*, ait Sapiens, *occidunt pigrum: Noluerunt enim quicquam manus eius operari: Tota die concupiscit & desiderat.* Ad vitium exprimit concupiscentiæ cedentis effigiem. Nempe vt is certissimè à concupiscentia vincitur, qui otiosè in ea versatur, ita illum, qui statim ad aliud se confert honestum negotium, eam vicisse, & consensum nullum præbuisse, liquidò constat: *Sicut is qui notas didicit* (ait S. Basilius in lib. de vera virginitate) *si illas scribere omittat, sensim animo labuntur, ita vt processu temporis nullius iam octadis figuram, aut locum aut nomen reuocare in animum queat: ita & qui iniqua cogitauit, si eiusmodi neglectis cogitationibus ad vtiliores alias animum transferat, seq; ad eas exerceat, procedente tempore priores illas memoria eliminans, ex animæ tabula perpetua obliuione delebit.* Prou.21.

Qui autem nihil horum facit quæ diximus, nec contrarium actum inducit, nec orat, nec fidei ſcutum opponit, nec cruce ſe ſignat, nec pectus tundit, nec exufflat Satanam, nec cogitat de Chriſto, vel de nouiſſimis, aliiſque piis ac ſanctis rebus, nec denique ad aliud ſe negocium confert, is certò ſcire non poteſt, an conſenſum præbuerit necne. Imò maximè dubitare debet, & metuere iam in peccatum tranſiiſſe conſenſum. Iubemur autem *omni cuſtodia cuſtodire cor noſtrum. Cauere item ne grauentur corda noſtra crapula, &c.* ſed *vigilare in omni tempore orantes*: ne ſimus *quaſi columba ſeducta non habens cor.* Et putamus à conſenſu tuti eſſe, nihil horum facientes? Certè *qui amat periculum, peribit in illo*; & : *Otioſitas multam malitiam docuit.* Quanto igitur ſolus in luxuriæ peccatum conſenſus internus certius ac grauius crimen eſt, tanto ſollicitiùs non ſecus ab eo quàm ab ipſo externo actu omni ſtudio ac diligentia mundum atque immune cor ſeruare omnem Chriſtianum oportet, qui animę ſuę cura tenetur, eámque ſaluam cupit.

Prouer. 4. *Lucæ 23.* *Oſeæ 7.* Eccl. 3. Eccl. 33.

DIXI.

De

De Luxuriæ fuga atque remediis.

Oratio Catechetica 9.

QVæ de Luxuriæ ſiue libidinis peccato hactenus diximus (Auditores) etſi huic inſtituto noſtro maxima ex parte ſufficere poſſe videantur, (nam & qua ratione capitale, quorúmque peccatorum caput, & quanta præterea cum turpitudine & grauitate coniunctum eſſe ſoleat, non in externo actu tantùm, ſed & ſolo interno conſenſu, quibúſque indiciis conſenſus ille deprehendi poſſit ac debeat, demonſtratum eſt) tamen quia non tam compendio hìc & breuitati, quàm veſtræ omnium aut voluptati aut vtilitati ſtudeo, hodiernam adhuc homiliam huic rei impendere, quaſíque eandem adhuc telam texere inſtitui. Non quidem quæ ſemel dicta ſunt repetere, (quid enim odioſius?) nec in huius adhuc enormitate deſcribenda laborare (ſatis enim ea deſcripta videatur) ſed de huius flagitioſi ac fædi peccati fuga atque remediis diſputare. Quod quidem vt facerem, non exempla me tantùm eorũ, qui hac de re tractarunt atque ſcripſerũt, hactenus mouerunt, ſed & rei ipſius magnitudo cõpulit. Etenim præterquã quod multis ſanè nominibus deteſtãdũ atq;

flagitio

flagitiosum hoc vitium sit (vt est iam demonstratum) ideoque de fuga eius atque remediis meritò docere debeat, habet adhuc in se hoc singulare luxuriæ seu libidinis vitium, vt & perpetuò animum infestet, & difficillimè tamen repellatur atque curetur. Etenim intestinũ est hoc malum atque domesticum, connata est & insita quædam deformitas: nobiscum nascitur, nec nisi morientibus nobis moritur, *lex est membrorum repugnans legi mentis nostræ.* Hostis est perpetuus, quem excutere non possumus, & vincere debemus. Chananæus, Hethæus, & Amorrhæus est noster, *quod dimisit Deus in medio nostri, nec delere eos voluit*, post Baptismi gratiam, *vt in eis nos erudiret*. Acrior quidem est pugna iuuenum, sed nec senectutis quietem infestare desistit. Idcirco (vt scripsit Augustinus) *inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria.* Grauis ille hostis est cui quotidie resistitur, & quotidie timetur. *Fornicationẽ fugimus* (ait Ambrosius) *perpetuò insequentem, quæ tamen non tam post nos quàm in nobis sequitur. Diligenter ergo videndum ne dum illam fugimus, nobiscum illam portemus.* Et istud, vt dixi, est in hoc vitij genere singulare & propriũ. Nulla enim alia vitia tam importuni hostes sunt, aut ita pertinaci pugna dimicant. *Auaritia* (ait Hieronymus) *cum marsupio deponitur, & renuncians mundo ab ea liberatur. Maledi-*

Luxuriæ remedia cognitu necessar.

Rom. 7.

Iosue 2.

Lib. de honestate mulierũ cap. 1.

De pœnit. libr. 2. *cap.* 14.

In Epist. ad Furiã.

cam linguam indictum emẽdat ſilentium: Cultus corporis & habitus veſtium vnius horæ ſpatio commutatur, vt ille Polemon audito Xenocrate. *Pleraque alia peccata extrinſecus ſunt, & quod foris eſt facilè abijcitur. Sola libido quadã lege naturæ in ſcelus erumpit. Grandis itaque virtutis eſt & ſollicitæ diligentiæ ſuperare quod natus ſis: in carne non carnaliter viuere: tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem arci centum oculis obſeruare.* Quid quod vt perpetuum ita & omnium eſt, aut penè omnium? Etenim ſic eſt huius vitij vniuerſa quædam corruptio, ita eius paſſim dominatur affectio, vt (quod ſcribit Hieronymus,) *& in ſerico & in pannis regnet, nec Regum purpuras timeat, nec mendicantium ſpernat ſqualorem.* De hoc ergo vitio tam nefario, aſſiduo, difficili, atque vulgari, quidni acuratiùs agendum? quidni de eius fuga atque remediis diſputandum fuit? Iſtud autem hoc ordine faciemus, vt primũ quidem ea tractemus, quibus quaſi mediis procul à nobis hæc turpitudo arceatur, penitúſque caueatur: Deinde illa dicamus quibus quaſi remediis, ſi quando aut obrepſerit aut inualuerit hoc malum, denuo expellatur atque curetur.

In Epiſt. ad Saluiã.

Eſt autem in primis illis magnopere attendendum: *Multo enim faciliùs ſeruatur innocentia, quàm congruè agitur pænitentia.* Multo expeditiùs eſt ab omni libidine ſe alienum cuſtodire, quàm in ipſa libidine

Ambr. de pænit. libr. 2. cap. 10.

modum

modum tenere. In amore enim velle modum tenere, eſt cum ratione velle inſanire. Vitatur autem, & quàm maximè à nobis procul arcetur omnis hæc turpitudo, ſi illa diligenter fugimus, quæ ad eam impellunt aut inducunt. Itaque illa hic imprimis enumeranda & explicanda ſunt. Horum certè omnium facilè præcipua ſunt gula atque ſuperbia: De quibus multa hìc dicenda eſſent, niſi iam antea oſtenſum eſſet, alterum quidem horum vt penale malum libidinem ſecum comitem adferre, alterum verò vi ſua propria inducere, alere, fouere.

Ezech. 16. Itaque illa in primis cauenda ſunt. Hęc enim fuit iniquitas Sodomæ: *Superbia & ſaturitas panis.*

Aliud incentiuum libidinis eſt, oculorum aſpectus curioſus & negligens: de hoc

Ierem. 21. enim peccato dixit Propheta: *Aſcendit mors per feneſtras veſtras, ingreſſa eſt domos veſtras.*

Pſal. 118. Ideo Pſalmiſta ſollicitè orat: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem:* edoctus videlicet malo ſuo, qui conſpecta curioſiùs & attentiùs Berſabee vxore Vriæ, peccauit in illam. Huius etiam rei periculũ perſpectum

Iob 31. habens Iob: *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Nempe hoc eſt libidinem fugere. Iuxta illud Prophetæ: *Oculus meus deprædatus eſt animam*

Tren. 5. *meam.* Laudamus hoc in Iob viro ſapientiſſimo, ſed imitari detrectamus: quia vt ab eius cæteris virtutibus longiſſimè ab-

ſumus,

ſumus, ita & ab iſta. Accipe ergo hominis ethnici exemplum, nec imitari pigeat: imò non ſuperare pudeat. Laudatur Scipio Africanus, quòd captam in Hiſpania nobilem & pulcherrimam puellam, viro cui deſponſata fuerat, intactam reddiderit. Celebratur Alexander Magnus, quod dixerit: *Dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ: ſed ego eas tanquam ſtatuas inanimes prætereo.* Hoc ille præſtare ſi potuit à Deo alieniſſimus, nobis res aut noua aut difficilis videbitur? Sed vt ad ſacra redeamus, adeò proprium eſt libidinis incentiuum oculorum aſpectus, vt dixerit Apoſtolus Petrus de fornicatoribus, *oculos illos habere plenos adulterÿ*: vt etiam deſcripſerit Sapiens fornicariam illam in hunc modum: *De feneſtris ædium ſuarum proſpiciens videt paruulos, conſiderat vecordem iuuenem, &c.* pudica verò anima (vt eam pulchrè deſcribit Baſilius) *intus in corde, velut in domo ſedem ſtatuens, atque inde ſenſus, cogitationes. Diiudicans, ſi quid vtile, pium, ac labe purum influat, intromittit libens: Si quid autem inutile & à virtute alienum, extra feneſtras ſuas prudentiæ manibus obſeratas excludit.* Sic is facere debet, qui ſe immunem à libidine ſeruare vult. Huius autem rei cauſa penè naturalis eſt, quam ſic explicat Baſilius: *Sicuti naturaliter ægros etiam oculos inſpiciendo, noſtros lædimus: ea autem contuendo quæ aſpectũ iuuant, noſter quoque proficit obtutus: ita ſanè cum voluptatis*

Qu. Curtius in vita Alex.

2. Pet. 2.

Prou. 7.

Libr. de vera virgi.

Ibidem.

iudiciis

iudiciis atque illecebris oculos inijcimus, animus voluptatis morbo fit ſaucius: veris autem bonis cùm intendimus, ab oculis quoque ad animum illa bona deriuantur. Eſt itaque à laſciuis aſpectibus quàm maximè cauendum.

Ephes. 5. Non minus, imò profectò maius & vehementius eſt libidinis incentiuum *turpiloquium*, quod propterea ſedulò fugiendum

Tit. 1. monet Apoſtolus: addens cauſam: *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* Quod

De pœnit. libr. 1. cap. 14. adeò verum putauit Ambroſius, vt quum dixiſſet, *paſcitur libido conuiuiis, nutritur deliciis, &c.* adiecerit *grauiora ſunt his fomenta verborum.* Primus enim ſanè verecundiæ gradus in verbis eſt: hunc qui tranſilit facilè

Offic. lib. 1. cap. 10. in deterius progreditur. *Primùm officium eſt loquendi modus*, ait idem Ambroſius. Quomodo autem verba obſcæna ad animum

Lib. de vera virg. vſque pertingant, eleganter deſcribit Baſilius: *Veluti*, inquit, *lapis in aquam ciſternæ coniunctus, non ſolùm adiacentem aquæ partem, in quam decidit, agitat, verùm & orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos laciniæ margines producit: ita ſermo laſciuus in animam caſtam velut in vndam puriſſimam vehementer coniectus alias poſt alias amatorias cogitationes excitat, totamq́ animam voluptatis fluctibus agitat.* Quod ſanè adeò verum, vulgare, & quaſi naturale eſt, vt (quemadmodum notauit Proſper) *propter huius turpitudinis periculũ,*

ab antiquis Rabbinis decretum fuerit, ne quis adolescentium legeret Geneseos librum, ac partem pariter Ezechielis Prophetæ, vel Cantica canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarundam scripta sunt mulierum. Viderint ergo adolescentes in quæ se pericula coniiciant, dum nullo delectu Amadæos & Bocacios, aut his etiam turpiora, lectitant. Meminerint quod dici solet, *flamma fumo proxima est.* *De vita cõtemplat. lib. 3. c. 6.*

Periculosa sunt ista quæ diximus & maximè cauenda, ne irrepat libido. Quod autem nunc dicemus non tam periculum adfert, quàm ipsi malo incautos nos inuoluit. Contactus videlicet alieni corporis, qualia sunt oscula, amplexus, & quæuis alia contrectatio mutua. De qua re monet Sapiens: *Cum muliere extranea non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum.* Est autem huius periculi ratio & causa in ipsa carnis natura posita. *Ignis ardens omnis caro*, ait Basilius: *Sicut quum ignem tangimus, impossibile est illæsum esse tangentem, sed necesse est, vt aut bullæ repentè turgescant & vlcera minentur, aut iam facta vulnera acerba compareant: ita ex contactu carnis mutuo, aut fœdæ cogitationes animo subrepunt, & paulatim intumescunt, aut animum totum, & in ipsis intimis præcordiis iam grauiter, exulcerant.* Quod sanè in re simili illustrat: *Sicut dum caudam quis tantùm serpentis at-*

Eccli. 9.

In lib. de vera virg.

tingit, caput ipsius, licet magna corporis prolixitate disiunctum, ad caudæ tactum repentè conuertitur: Et sicut digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur, ita profectò vitiosus contactus, etsi manu tantùm fiat, à capite tamen vsque ad extremos vngues, ad consensum voluptatis totum contrahit corpus. Hac sanè de causa dixit Sapiens, *Potestne quisquam ignem in sinu suo gestare, vt non comburat vestimenta sua: aut super ardentes prunas ambulare, & pedes non vrere:* Nempe ne in contactibus istis lasciuis & vitiosis leue momentum ponamus, sciamus voluptatem istam in solo contactu positam, potestate tamen & imperio intus iam & in animo esse. Non secus sanè quàm prædo quispiam aut latro depositis in domo, in quam furtum irrepsit, armis, si discedit ad tempus, intus tamen potestate est: sic libido iam in membris posita mentem occupat. Dum videlicet nos ipsi præbemus, *membra nostra arma iniquitatis peccato:* quod ne fieret sollicitè nos præmonuit Apostolus. Est autem hîc tantò maior cautio adhibenda, quanto res tenera magis ac delicata pudicitia est. Nam vt oculum, etsi leuissimè tangas, necessariò contactu lædis, ita vel in leuissimo contactu periclitatur pudicitia. Itaque vt non est tutum ludere cum diis, sic nec cum pudicitia ludendum est. Nullo negotio excitatur ignis quem in carne foues: etiam absque illecebris superbit & molesta

Prou. 6.

Rom. 6.

est.

est. Tu ergo noli oleum camino addere, aut irritare crabrones. Quid dormientem hostem huiusmodi illecebris excitas & ad pugnam lacessis?

Sed vt ista pudicitiæ amittendæ pericula, conseruandæ media diligenter obserues vnum est quod si caueas, illa facillimè obseruabis, si admittas, nunquam obseruare poteris. Nec oculus, inquam, tuus te deprædabitur, nec vel audita vel lecta impudica te capiens, nec contractus te inquinabit, si istud vnum quod nunc dicam obserues. Quale istud est? Otium fuge. Negotio te semper aliquo occupatum tene. Relictus est in te hic stimulus carnis: permissa manere in te hæc membrorum lex. Concessum est carni vt repugnaret aduersus Spiritum: vt te hic stimulus colaphizaret: Sed quare aut quorsum? vt in agone & certamine ageres, vt pugnaret spiritus aduersus carnem, vt bonum certamen legitimè certares. Ad pugnam vocatus es. Quid otio torpescis, delicate miles præda haud dubiè aduersario futurus? Nec enim solum *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, sed præterea, *nisi spiritu facta carnis mortificaueritis, non viuetis*. Itaque vt vincas age, vinces autem si occupatum te hostis inueniat. Audi Poëtam, 2.Tim.2. Rom.8.

Quæritur Aegistus, quare sit factus adulter?
In promptu ratio est, desidiosus erat.

Exech.16. Sed audi potiùs Prophetam, *Iniquitas Sodomæ, otium ipsius & filiarum eius.* Vnde Lib.6. ca. 1. in 1. Reg. beatus Gregorius: *Inter opera & labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solitæ conuersationis rigore torpescimus vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israëlem vin-* Ibidem cap.2. *cunt.* Ratio verò huius rei est, quam in sequentibus idem Doctor clarè subdit: *Quum simul duas res cogitare non possimus, fit vt aliud aliquid cogitando non cogitemus immunda. Celer ergo & facilis victoria libidinis est circumspectio cogitationis: si quoties carnalia occurrunt ad aliquid recurramus, quod libidinis non sit blandimentum.* Sicut enim clauus clauo pellitur, ita cogitatione vincitur, maximè si honestam vitiosæ opponas. Lib. de vera virgin. Monet hoc disertè Diuus Basilius: *Si fortè contingat clam animæ corporeas imprimi formas, eas perpetua rerum honestarum memoria delere contendat.* Quin & alibi rogatus, quæ demum sit ratio omnis amputandæ concupiscentiæ carnalis, respondet, Ad interrog 30. in reg. breu. *desiderium rerum meliorum.* Hoc est autem otiosum non esse, in iis semper versari quæ sancta & honesta sunt. Eleganter hac de re Prou.21. Sapiens: *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus eius operari: Tota die concupiscit & desiderat.* A quo non abhorret quod poëta scripsit; *Ni lumen cum lumine poscas, Inuidia vel amore vigil torquebere.*

bere. Solent enim in otioſas mentes huiuſmodi irrepere cogitationes, ſatagente Satana, & quærente quem deuoret, contra quem *ſobrios ſtare & vigilare* nos monet Apoſtolus. 1. Pet. 4.

Et ſunt hæc quidem ſtantibus tutelæ. Dicamus nunc lapſis remedia. Contra libidinis vitium, modo quodam & ratione ſingulari remedium eſt Oratio. Nam cætera vitia ſtudio & exercitiis quibuſdam vitari poſſunt. Superbia vincitur debita Dei & tui ipſius conſideratione, vt ante eſt dictum. Gula ieiuniis & parſimonia emendatur. Auaritia, contempta ſemel pecunia, deponitur. Sola luxuria oratione ſanatur. Sap. 8. *Nam cùm nemo continens eſſe poßit, niſi Deus det*, profectò rogandus Deus vt hoc det. 2. Cor. 12. Sic de Apoſtolo legimus: *Aduerſus ſtimulum carnis ter Dominum rogauit*, & reſponſum accepit: *Sufficit tibi gratia mea.* Vt videlicet ſemper à Deo penderet, & orationi ſemper incumberet. Ideo monet ſuam Saluinam Hieronymus his verbis: In Epiſt. ad Saluinam. *Crebræ ſint tibi orationes, vt omnes cogitationum ſagittæ, quibus adoleſcentia percuti ſolet, huiuſmodi clypeo repellantur.* Et quàm ſit proprium aduerſus hunc hoſtem telum oratio, docet Apoſtolus quum dicit: Rom. 8. *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Noli autem putare* (ait Auguſtinus) De verb. Dom. ſerm. 43. *de ſpiritu hominis hoc dictum eſſe: Spiritus Dei eſt qui pugnat in te aduerſus te, aduerſus illud quod*

in te contra te est. Non enim sic Deus nos expectat pugnantes, sicut populus expectat venatores, applaudens si rectè, congemiscens si secus res acciderit. Ipse pugnat pro nobis in nobis. Quomodo? *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*: Spiritus Dei agit in nobis. Sed quomodo agit? explicat adhuc apertiùs: *Spiritus ipse orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: id est: *Spiritus docet nos orare*, ait Augustinus. Ex quibus omnibus conficitur sic Spiritum concupiscere aduersus carnem, & sic spiritu facta carnis mortificari, vt Spiritu doceat nos orare, ac vi orationis carnem vincere. Clariùs adhuc & apertiùs hoc docet Apostolus. Quum enim dixisset: *Accipite armaturam Dei, state succincti lumbos vestros in veritate, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, (ignea autem illa tela quid aliud sunt, quàm fœdi amoris iacula?) docens quid sit hoc totum, subiicit: *per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu.* Cui concinens Ioannes ait: *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* Non fides illa apprehensiua quam fingunt hæretici, sed *oratio fidei*, vt loquitur Iacobus, *Fides enim orando impetrat, quod lex iubendo imperat*, ait sæpissimè Augustinus. Sic Iacobus: *Postulet in fide nihil hæsitans.*

Rom. 8. — *Epist. 121.* — *Ephes. 6.* — *1. Ioan. 5.* — *Iac. 2.* — *Iac. 1.*

Docuerunt nos Sancti Patres, quorum

rum veſtigiis quàm libentiſſimè inhæremus, aliud idemque efficax contra libidinis illecebras remedium & antidotum eſſe diuini iudicij metum, ſi eum ſibi ante oculos proponat, qui hoc vitio agitatur. Sic docuit Iſidorus vir doctiſſimus ſancto Gregorio magno & contemporaneus & charus. *Quando* (inquit) *impulſu Dæmonum mens ad delectationem illicitam impellitur, diuini iudicij metus & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur.* Et rationem ſubdit: *Sic enim recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.* Idem paulo aliis verbis & copioſiùs docet Sanctus Baſilius: *Quotieſcunque te ſenſeris ad huiuſmodi allici ac proſilire peccatum, ad mentem reuoca formidabile illud ac nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, illo in ſublimi throno ſedente. Hæc tu time, & eiuſmodi timore eruditus, quaſi freno quopiam abarce animam, & cohibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem.* Nempe debet validæ tentationi & illecebræ omnium blandiſſimæ vehemens terror iniici, vt vel ſuperbiens caro reprimatur.

De ſummo bono lib. 2. cap. 39.

In Pſal. 33.

Sed præcipuum atque præſentiſſimum luxuriæ remediũ eſt fugere, & primo quoque tempore ſubeuntem animo cogitationem excutere. Id monet Apoſtolus: *fugite fornicationem.* Cętera enim vitia (ait in illum locum ſanctus Thomas) vincuntur reſiſtẽdo, quia quanto magis homo particularia

1. Cor. 6.

tractat & conſiderat, tanto minùs in eis inuenit vnde delectetur. Superbia enim, auaritia, ira, inuidia nulla ratione meliùs quàm diligenti ac diuturna deliberatione vincuntur. Oſtendit enim ratio quàm vanè ſuperbitur, quàm ineptè pecunia amatur, quàm temerè vindicta appetitur, quàm iniuſtè alterius bono inuidetur. At verò in luxuriæ vitio, quanto magis homo cogitat particulare, tanto magis accenditur: vincitur autem fugiendo, id eſt, totaliter vitando immundas cogitationes. Id enim niſi fiat, quanto magis immoramur & introſpicimus, tanto ſenſim immergimur magis, & capimur. Vnde præclarè monet ſanctus Ambroſius: *Si non eam penitus* (ait) *noſtro excutimus animo, tollimus eam magis nobiſcum, quàm eam poſt nos relinquimus.* Ait quidem Petrus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Non ſic in hoc vitio: fuga, non viribus ſaluti conſule. Tanquam à facie colubri fuge hoc peccatum. Propterea (vt alibi Ambroſius monet) *veloci fuga tanquam furioſæ dominæ declinanda ſæuitia eſt.* Et rationem adfert, *Quia importuna meretrix eſt: nullas dat animo inducias: Nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammatur, vſu accenditur. Nullus peccandi modus & inexplebilis ſcelerum ſitis: niſi morte amantis extingui non poteſt.* Itaque tam importuno

De pœn. li. 2. cap. 14.

De Cain & Abel lib. 1. cap. 5.

& inua

& inualeſcenti malo in principiis ipſis obſtandum eſt : hoc eſt, allidere paruulos ad petram. *Nolite cum voluptatibus veſtris colloqui* (ait Auguſtinus) *elidite dum paruula eſt ad Chriſtum.* Quod monet per Eſaiam Spiritus Sanctus, *Accingite lumbos veſtros ſuper vbera veſtra.* hoc eſt, ait Iſidorus, *in corde libidines reſecate, quæ ad lumbos pertinent.* Nam cor ſub vberibus eſt, non in lumbis. Hinc monet Saluator, *vt ſint lumbi noſtri præcincti.* Et Petrus, vt ſint *ſuccincti* ἀναζωσάμενοι. Et illud exprobrat Ezechiel : *In die ortus tui non præciſus vmbilicus tuus.* Quod enim viris lumbi, hoc feminis vmbilicus. Dies ortus principium tentationis ſignificat. Niſi ipſa exoriente tentatione veluti ad opus vndique præcincti atque ad aliò pergendum ſuccincti ſimus, niſi confeſtim primos illos motus reprimimus, manifeſto nos ſuccumbendi periculo obiicimus. Quod igitur in peſte, hoc in huius generis vitio : *Procul, citò, tardè.*

Enar. in Pſal. 136. *Eſai. 32.* *vbi ſuprà.* *Luc. 12.* *1. Pet. 1.* *Ezech. 16.*

DIXI.

De Peccato Inuidiæ.

Oratio Catechetica 10.

Eccli.21. Prou.13. Eccl.23.

QVod eleganter ſcripſit & ſalubriter admonuit Sapiens (Auditores:) *Via peccantium complanata eſt lapidibus.* Et rurſum : *Impietas omnis peccatorem ſupplantat, & in vanitate ſua apprehenditur peccator,* quibus ſanè verbis admonere nos voluit ſpiritus Sanctus, hanc eſſe peccati naturam, vt ipſa ſibi ſit carnifex, nec aliunde maius quàm ex ſeipſo tormentum accipiat : illud profectò ita in vniuerſis peccatis verum eſt, vt ſi nulla alia vel in cælo vel in terra iuſtitia eſſet: nec in futura, nec in præſenti hac vita alia peccati vindicta expectaretur: hoc ſolum tamen non ab omni planè aut ratione aut pietate alienos, ſatis à peccando deterrere atque auertere poſſet. Etenim eſt (quocunque oculos vertas) omne peccatum tanta cum turpitudine coniunctum, dum opere perpetratur: vel ita illi ipſi graue, moleſtum, noxium, qui perpetrat: vel aliis ita damnoſum ac detrimentoſum: tot denique nominibus præpoſterum, abſurdum, fædum : tot de cauſis ingratum, odioſum, execrandum, vt omni ſecluſa & Dei & hominum iuſtitia, ipſa ſibi flagellum iniquitas omnis ſit : ipſa de ſe pœnas ſumat, easque acerbiſſimas : vt mihi profectò vi-

tiorum naturas diligentius inſpicienti, non via virtutis aſpera, & vitiorum amæna (ſicuti homines ethnici arbitrati ſunt, & litera illa pythagorica myſticè docere voluit) ſed contrà via virtutis blanda, ſuauis, iucundiſſima, *onus*, inquam, Chriſti *leue*, *& iugum ſuaue*: vitiorum autem viæ aſperæ, duræ, permoleſtæ videantur, ſitque veriſſimum quod ex Sapiente commemorauimus, *via peccatorum complanata eſt lapidibus*. Et iterum: *Iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum: via autem iuſtorum abſque offendiculo*. Ac iſtud quidem vt in aliis peccatis verum ſit, & magna iam ex parte oſtendimus, in ſuperbia, auaritia, gula, luxuria, & deinceps donante Deo oſtendemus. Sed quod hodie capitale peccatum tractandum ſuſcepimus, illud verò ita ſecum adfert vniuerſa illa quæ diximus, ita in ſeipſo fædum eſt: ita ipſi in quo flagrat, graue, moleſtum noxium: ſic aliis damnoſum: ſic ab omni ratione alienum, abſurdum, præpoſterum, ſic Deo denique & hominibus ingratum, odioſum, execrandum: vt huius peccati via non tam *lapidibus complanari*, quàm rupibus & ſcopulis ſterni: nec tam *Dominum ſuum ſupplantare*, quàm præcipitare meritò dici poſſit. Id quod ita ſe habere hodierna docebit Homilia. Eſt autem Inuidia de qua nunc agere inſtituimus. De qua ſic agemus, vt primùm quæ ſit inuidiæ natura dicamus: proximo loco de varia il-

Virtutis via nõ ardua, ſed blanda.

Matth. 11.

Prou. 15.

Diſtributio.

1.

2.

la

la & infelici sobole quam producit disputemus:
3. Deinceps de eius multiplici grauitate, turpitudine, enormitate copiosiùs agamus.
4. Postremo verò loco de remediis huius teterrimi flagitij pauca disputemus Quæ singula dum facio, vos diligenter quod facitis, attendite.

Inuidia quid Inuidia est, vt eam optimè definit sanctus Augustinus, *odium alienæ excellentiæ & felicitatis*, sicut superbia amor propriæ excellentiæ & felicitatis. Sic quoque Basilius: *Inuidia*, inquit, *dolor est de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus.* Fit autem tribus ferè modis, vt describit Augustinus. Nam vel paribus inuidet, quòd ei coæquentur: vel inferioribus, ne sibi coæquentur: vel superioribus, quòd eis ipse non coæquetur. Hæc autem de alieno bono tristitia sceleratissimam hanc prolem producit. Primum odium proximi capitale & infestum, non leue aut momentaneum. Exempla huius rei occurrunt in Scripturis creberrima. Cain inuidens Abel, vsque ad internecionem eum est prosequutus. Saul inuidia in Dauidem perculsus, quia cantabant filiæ Israël: *percußit Saul mille, & Dauid decem millia*, perpetuò eum persequebatur. Esau fratrem Iacob, quia benedictionem paternam præoccupauerat, insectari nunquam destitit. Sic fratres Iosephum, quòd magis à patre diligeretur: sic Chore, Dathan, & Abiron Moysen & Aa-

De Gen. ad lit. lib. 11. cap. 14.
Hom. 11.
Gen. 4.
1. Reg. 18.
Gen. 27. & 37.
Num. 16.

ronem odio pluſquam vatiniano proſequebantur, quòd illorum authoritati inuiderent, dicentes illis; *Quare eleuamini ſuper populum Domini?* vnde meritò à ſancto Chryſoſtomo *mater homicidij*, à Cypriano *fons cladium*, à Baſilio *naturæ confuſio*, nuncupatur. Nam & fratres, & parentes, & quouis naturæ vinculo coniunctiſſimos diuellit.

Altera huius filia detractio eſt, de qua in Decalogo copioſè egimus. Naſcitur quoque ex inuidia præpoſtera & diabolica affectio, qua in alienis malis & aduerſis rebus exultamus: quum omnis Scriptura & omnis ratio, tota fides noſtra & tota humanæ vitæ ſocietas nihil aliud clamet, moneat, iubeat, quàm laborantibus condolere, compati, ſubuenire. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* A qua quàm longiſſimè abſunt inuidi! Sed prædixit Spiritus Sanctus: *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Et iterũ: *Quoniã quẽ tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt: appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam.* Et videte pænam qualis ſit; Sanè qua maior inuido affligi non poteſt. Nempe vt quo magis is inſultat, eò citiùs alteri ſuccurratur. Sic enim ait Scriptura: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus & diſpliceat ei, &*

Gal. 6.

Prou. 17.

Pſal. 68.

Prou. 24.

auferat ab eo iram suam.

De vita contēplat. lib.3.c.9.

Ex inuidia porrò oriuntur malæ suspiciones, & credulitas ad malum. *Quidquid mendax fama iactauerit, perinde ac si ipsi viderint, credunt, & contradicentem feraliter persequuntur*, ait Prosper: Quo nomine Sodomitis eos non ineptè comparat Isidorus, *Sicut ostium quærebant Sodomitæ, quo domum Loth nocituri introirent, illi verò cæcitate percussi, parietes videbant, ostium videre non poterant: non aliter inuidi videndo velut parietem virtutes dissimulant, vitia verò perquirunt, vt aditum malæ famæ inueniant.*

De summo bono lib.3.c.25.

Gre. Nyssenus in vita Moysi.

Hoc etiam nomine comparat inuidum miluo Gregorius, & scarabæo Chrysostomus: *Miluos enim cadaueribus pasci & pretiosis vnguentis emori aiunt: videtur enim natura ad putridum & purulentum esse affinis. Sic inuidus amicorum commodis quasi vnguēto tabscit, calamitate pascitur ac oblectatur. Quemadmodum scarabæi alieno stercore* (ait Chrysostomus) *sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cùm sint communes generi humano hostes.* Tale itaque quiddam inuidia est, & hæ eius soboles.

Nunc quàm graue ac detestandum, quot ob causas execrandum crimen id sit inspiciamus. Id autem vt quàm fieri potest clarissimè ac ordine dilucido fiat, primùm quale in seipsa sit inuidia, quàm videlicet possessori molesta, noxia, insanabilis, tum quàm

erga proximos absurda & præpostera. Postremò quot nominibus apud Deum execranda sit disputabimus. 3.

Inuidia in seipsa quã multiplex malum.

Est itaque primo loco hoc inuidiæ proprium, quòd quum ex aliis vitiis quædã voluptatem, nonnulla vtilitatem, alia splendorem adferant, hæc vna & maximè sit ipsi in quo est molesta, & imprimis noxia, & ita turpis, vt nihil magis quàm prodi metuat, nec vnquam quod est videri velit, sed contrà. Quæ ita se habere iam ostendemus. Docet hoc Sapiens sic scribens: *Putredo ossium inuidia.* Quod quale sit explicãs Chrysostomus, *Sicut vermis*, inquit, *de ligno nascens, ipsum primùm absumit: sic & inuidia illam, priùs quæ se peperit, animam corrumpit.* Et similia scribens Augustinus ait: *Sicut ærugo ferrum, ita inuidia ipsam animã in qua est, interimit & consumit. Et sicut viperæ dilacerato atque dirupto materno vtero, in quo conceptæ sunt, nascuntur: ita & inuidia natura illam ipsam animam, à qua concepta est, consumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? quæ cogitationum tabes? pectoris quanta rubigo? Zelare in homine donum Dei, & aliorum gloriam facere pœnam suam: velut quosdam pectori suo admouere carnifices: cogitationibus & sensibus adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent? Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus: Suspiratur, ingemiscitur: diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermißione laniatur: & quanto cui*

Prou. 14.

Hom. 45. ad pop. Antioch.

Serm. 83. de temp.

inuidet melius est, tanto maiori intus flamma corripitur. Pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus. Nec respirare poterit, qui hostem inclusum gerit. Quod etiam eleganter exprimens beatus Cyprianus in hæc verba scribit: *Quisquis ille est quem zelo prosequeris, vitare te poterit: tute non potes fugere: hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla subueniunt.* Diuus quoque Basilius, eadem scribens quæ supra Beatus Augustinus, de inuidi hominis sibi ipsi nocentis infelicitate, hæc addit: *Nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differre inuidus videtur.* Quicquid enim in aliis pulchri aut præclari est, huius morbum auget: *Verè est interitus vitæ, pestis naturæ inuidia.* Et paulo post, *Quemadmodum sagittæ magna vi emissæ, si in durum aliquid ac respuens inciderint, in emittentem facilè redeunt: sic inuidia tristitiam proximis nequaquam, sed tantùm inuidenti affert, eamq; acerbißimam.* Hæc sancti Patres quorum verbis vti malo quàm meis.

Serm. de Zelo & liuore.

Hom. 11.

Iam verò non hoc tantùm nomine molesta est, quia animam perturbat, sed maximè noxia quia bonis summis priuat & expoliat. Etenim eo sanè bono per summum nefas animam spoliat, quod est in hac Christiana societate maximum, à proximis quidem vel ab Ecclesia expectandum. Neque

enim

enim maius aut præstantius in Ecclesia bonum est, vnde vberiores fructus anima Christiana percipiat, quàm ex illa *Communione Sanctorum*, quam in Symbolo profitemur, participatione videlicet & societate bonorum omnium quæ in Ecclesia sunt. Qua de re dixit exultans in spiritu Propheta: *Particeps ego sum Domine, omnium timentium te.* Hoc autem totum sola & omnis inuidia sceleratissimè aufert. Participes enim aliorum bonorum non aliter sumus, quàm mutua charitate congaudendo, & diligendo in aliis quod ipsi non sumus. Quod sic pulchrè explicuit Gregorius: *Sic sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt vnum fiunt. Vnde fit vt pes per oculum videat, oculi per pedes gradiantur: suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. Non aliter in mystico Ecclesiæ corpore, nostra sunt, quæ etsi imitari non possimus, amamus in aliis, & amantium quæque amantur à nobis. Inuidia ergo ex alienis bonis, quæ si diligerent, sua facerent bona, non diligendo, sed inuidendo, sua faciunt mala.* Ideò sanè Paulus iubet *gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus*. Vnde sic colligit Chrysostomus: *Cogitantes itaque quod licet non laboremus, sed laboranti condelectemur, illius coronatum efficimur participes, omnem eiiciamus inuidiam.* Quid enim magis perni-

Psal. 118.

Curæ Pastor. Par. 3. *Admonit.* 11.

Rom. 12.

Hom. 44. *ad pop. Antioch.*

ciosum efferre potuit, quàm tota illa communione Sanctorum, toto illo communi auxilio, & societatis Christianæ beneficio immenso quidem illo, & præcipuè fraudare, & exuere, spoliare? Atque ita quidem nec voluptatem nec vtilitatem secum inuidia aufert, & permolesta præterea ac noxia est.

At verò quòd nec splendorem aut honorem adfert, sed turpis ac dedecorosa est, vel illud argumento esse potest, quòd seipsam prodere non audeat, sed contrà, quibus inuidet, eos honore & amore prosequi videri velit. *Idcirco* (vt notauit Prosper) *opinionem bonorum mendacijs decolorant. In spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant.* Sic hæretici eloquentiam tribuent Chrysostomo, subtilitatem Augustino, politioris literaturæ peritiam Hieronymo, vt interea demant illis fidei ac religionis puritatem. De quibus verum est illud: *Exigua dabit, & multa improperabit.* Sed ad grauiora huius vitij mala accedamus.

De vita Contemp. li.3. cap.9.

Eccli.20.

Inuidia malum insanabile.

Nempe ita est hoc vitium, ei quem possidet, noxium atque infestum, vt penè vnum sit, ex omnibus aliis, perpetuum & insanabile. Quod certè ita se habere ferè omnes Patres, quotquot de inuidia scripserunt, diligenter notauerunt. Ac primùm quidẽ inde insanabile ostenditur, quòd vulnus animæ occultat, vt suprà diximus. Sic enim

docet

docet Basilius: *Inuidiæ*, inquit, *malum medicinam spernit. Cui enim caput aut membrum aliquod dolet, medico morbum aperit: Verùm qui ægrotat inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Nam veritas hæc est. Attamen hæc quisque fateri erubescit. Quid quæso te affligit? proprium malum, an bonum alienum? certè malum tuum incurabile.* Cui subscribens Prosper totidem ferè verbis idem affirmat: *Non potest ei malo ab homine adhiberi remedium, cuius est vulnus occultum.* Rursum ex alio capite, insanabile hoc peccatum esse idem docet Prosper, quòd ipsum sibi sit carnifex, & bonis malè vtatur, vt antè est dictum, *vnde* inquit, *fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali? aut quomodo eos punitura sunt mala sua, quos etiam bona puniunt aliena?* Et paulo pòst, *Quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? Aut vnde sibi parabit salutem, qui de salutis materia* (malè bonis vtendo) *facit perniciem*? Præterea hoc nomine insanabile hoc peccatum est, quod perpetuum sit, nec ferè eum aliquando deserat, in quo semel præualere potuit. Notat hoc post Cyprianum Augustinus: *Mala cætera* (inquit Cyprianus) *habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In latrone conquiescit scelus homicidio admisso, & prædoni rapacitatẽ statuit præda possessa. Inuidia terminum non habet, permanens iugiter malum &*

Homil. 21 in varios Scripturæ locos.

lib. 3. cap. 7. de vita contemp.

Ibidem cap. 9.

serm. de zelo & liuore.

sine fine peccatum. Quod & exemplo illustrat Chrysostomus. *Quidam apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit & breui correctus. Abeli Cain inuidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim eius vlcus sanaturo magis intumescebat & fluctuabatur, & ad cadem properabat. Ita hoc vitium nulli medicinæ, quamcumque adhibueris, facile cedit.* Tale est inuidiæ bonum erga eum qui illa afficitur, & sic illum beat.

Homi. 44. ad pop. Antioch.

Nunc verò ad proximos quod attinet, quos hæc fœda bestia impetit, nocere quidem aliis non admodum multum potest, in hac tamen ita se præposteram & absurdam gerit, vt nihil suprà. Solet nempe inuidia non nisi optimos quosque eosdemque amicissimos & coniunctissimos impetere. Sic in Euangelio fratres erant, & eiusdem vineæ dominicæ cultores, quorum vni fratris gloriæ & prœmio (quod æquale esset) inuidenti, respondet Dominus: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* Fratres & conciues erant, quibus scripsit Apostolus: *Nolite inuicem mordere, ne inuicem consumamini.* Et rursum: *Ne simus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes:* vt planè etiam inter Christianos verum sit, quod poëta scripsit, *faber fabrum, figulus figulum odit.* Notauit hoc sanctus Basilius: *Ex Salomonis, inquit, sententia, zelus hominis ex socio ipsius: & Dauid dicit: Inimici hominis domestici eius. Non*

Matth. 20. Galat. 5. Hom. 11.

enim

enim Aegyptio vir Sohyta inuidebat, sed sua genti quilibet, non ignotis, sed familiaribus & vicinis & eiusdem artis hominibus, aut alia de causa coniunctis, & his denique coæuis, cognatis, & fratribus. Et omnino vt erugo frumentum deuastat, sic inuidia amicitiæ est pestis. Sic Cain Abelem, Esau Iacobum, cæteri filij Iacob Iosephum fratrem, zelo & inuidia prosequebantur. Hoc sanè nomine & feris & dæmonibus peiores se ostendunt. Nam *sæuis inter se cõuenit vrsis*: Et feræ etiam irritatæ, muneribus placantur. Soli inuidi beneficiis irritantur magis. *Non enim gaudent* (ait Basilius) *in acceptis bonis, sed tua tristantur felicitate, quod facultas tibi sit eorum vsui subueniendi. Dæmones quoque contra nos quidem bellum exercent implacabile, consortibus autem generis non insidiantur. Vnde Iudæis quoque Christus os occlusit: quum eum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniarentur.* Quum enim ex inuidia hoc dixissent, docens diabolum in seipsum non diuidi, eos diabolo deteriores esse ostendit. Tam est hoc nomine absurdum, præposterum, planeque diabolicum scelus, Inuidia. Cæterum nunc quàm grauiter & quot nominibus in Deum eadem peccet, ostendamus: Primùm itaque nihil magis à Christiano pectore alienum: quod & Saluator docet, & Apostolus monuit. Saluator enim disputantibus discipulis, *quis inter illos maior esset? Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis,*

Homi. 21.

Chrysost. Hom. 44. ad pop. Antioch.

Inuidia quãtopere Deũ offendat.

Luca 9.

hic erit magnus. Quibus verbis (inquit Cyprianus) *amputauit omnem æmulationem. Discipulo Christi zelare non licet: de*
Rom. 13. *humilitate ad summa crescere didicit.* Ideo & Apostolus, quum abiicienda esse *opera tenebrarum* doceret, inter cætera *contentionem & dolum* enumerat. Si ergo illuminatus in Christo es, quid ad inuidiæ tenebras ruis? Quid Caino similis existis? Ille ciuitatis Babylonicæ caput atque initium. Tu qui ad ciuitatem Dei spectas, nihil cum illo affine habeto. Adde quòd vt charitas & dilectio proximi est *lex Christi*, ita contrà inuidia proximi maximè est à Christo aliena. Vt autem intelligas, quàm sit hoc ab omni pietate ac professione Christiana alienum, est planè Inuidia scelus pro-
Sap. 2. priè diabolicum: Dicente Spiritu Sancto: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Quod adeò proprium diaboli est, vt hinc, ex calumnia videlicet, nomen suum sortitus sit. Cur autem & quomodo hoc vitium sit propriè diabolicum, explicat in hæc
Moral. lib. 5. cap. 34. verba Gregorius. *Quamuis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem mouit.* Nempe quia summus hìc malitiæ gradus atque impetus animo infigitur, vt autem *Deus est charitas*, quia nihil magis Deo proprium

quàm

quàm amare, ita diabolus est malitia, quia
nihil magis ei proprium quàm odisse, inui-
dere, nocere.

Quid quòd hæc inuidia adeò graue &
capitale peccatum est, vt etiam ipsa capita-
lia producat, sitque quodammodo radix ra-
dicum, quod sic docet Cyprianus: *Radix*, in-
quit, *est malorum omnium, fons cladium, se-
minarium delictorum. Inde odium surgit, an-
nuositas inde procedit. Auaritiam zelus in-
flammat, quia suo contentus non est, videns
alterum ditiorem. Ambitionem excitat, dum
alium videt honoribus auctiorem. Denique vbi
inuidia animum occupat, Dei timor spernitur,
inflat superbia, exacerbat sæuitia, perfidia præ-
uaricatur, impatientia concutit, furit dis-
cordia, ira feruescit.* Sic enim & adhuc co-
piosiùs Chrysostomus: *Inuidia innumeris
mundum repleuit malis: ex hoc morbo litibus
plena sunt tribunalia, ex hoc liuores & pecu-
niarum amor, ambitio & inanis gloria: denique
totam subuertit Ecclesiam, &c.*

Inuidia radix radicũ.

Serm. de zelo & liuore.

Hom. 44. ad pop. Antioch.

Postremò vt huic malo explicando fi-
nem faciam, fit sanè vt has omnes ob cau-
sas, sola penè inuidia inexcusabilis sit, fecit
enim sola inuidia Iudæos inexcusabiles.
Si non venissem (ait Saluator) *peccatum
non haberent, nunc autem excusationem non
habent de peccato suo, quia odio oderũt me gra-
tis*, ait Propheta Dauid. Causa huius rei est,
quia sola animi malitia ad inuidiam impel-
lit. Quod sic pulchrè docet Chrysostomus:

Inuidia peccatũ inexcusabile.

Ioan. 15.

Homi. 44.

Omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu verò, ô Inuide, quam dices causam rogo? Nullam penitus, nisi tantùm intensam nequitiam: Nullam nisi supremam malitiam? Si enim inimicos diligere iubemur, tu qui etiam amicos odio habes, qua es venia dignus? Peccatum ad mortem, pro quo non orat Ioannes, est inuidentia qua fraternitas impugnatur. Si etiam *ethnici diligentes se diligunt*, nec tamen propterea laudem à Christo consequuntur, tu qui etiam deteriora ethnicis facis, Christianus quum es, vbi excusationem inuenies? Nempe in aliis peccatis foris est quod ad peccatum allicit, fornicantem aspectus fœminæ, auarum pecuniæ, superbum honores, radix morbi tui est ex teipso. Malitia quæ intus vrit, inuidum te facit. Nihil est igitur quod peccatum excuset, extenuet, eleuet.

1. Ioan. 3.

Luca 4.

Inuidiæ remedium.

Quid ergo dicemus ad hæc. Quum tot nominibus tam fœdum ac flagitiosum hoc malum sit, quid aduersus illud remedij adferri potest, quo aut euitetur aut expellatur, si animo semel insederit? Equidem vnicum mihi nunc occurrit huius mali remedium, sed illud profectò efficacissimum & factu facillimum. Quod istud est? Profectò nil in rebus istis terrenis atque caducis admirari.

Quid faciendum (ait Basilius) *vt hanc animi pestem* (inuidiam) *aut ab initio minimè patiamur, aut ea semel infecti citò liberemur? Si nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus. Non enim in rebus fluxis nos Christiani bonum constituere debemus, ad sempiterna & vera bona inuitati. Itaque nec diues æmulandus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis culmen, nec fortis ob robur corporis, nec eloquens ob dicendi facultatem. Qui ergo fuerit ita animatus, vt nihil vsquam humanum admiretur, hunc procul dubio inuidia dominari nullo modo poterit.* Sic etiam monet & docet sanctus Gregorius magnus. *Qui liuoris*, inquit, *peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est & singulis tota.* Nempe hoc esse inuidiæ remedium, ex eo liquet, quod causa inuidiæ sit animi quædam deiecta vilitas, infirmitas, infantia, res paruas pro magnis admirantis. Vnde Iob: *Paruulum occidit inuidia.* In quæ verba Gregorius: *Paruulus est qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit, cuius inuidia torquetur.* Sic diabolus, deiectus à gloria, homini ad gloriam nato inuidit. Sic Cain despectis eius muneribus, Abeli fratri: Sic Esau; Sic Iosephi fratres. Paruulus enim est qui terrena diligit, magnus qui æterna concupiscit. Sic paruulus inuidia corripitur, qui adhuc in suis desideriis infirmatur, parua

Homil. 11.

Moral. lib. 5. cap. 34.

Iob 5.

Moral. lib. 5. cap. 33.

pro magnis appetens. Sic dupliciter paruulus ab inuidia occiditur, vel quia verè minor ipſo eſt, cui inuidet: vel quia deſiderio eſt paruulus. Remediũ ergo eſt vana & caduca iſta non admirari: magnum eſſe non paruulum.

At, inquies, etiam veris virtutibus interdum inuidetur. Quid hîc ergo remedij? Nõ enim illas etiam non admirari iubebis. Reſpondeo: Veris virtutibus ſub ſpecie & ratione virtutum nemo facilè inuidet, ſed vt illæ virtutes famam, honores, & emolumentum adferunt. Nam ſi veras virtutes verè appeteret, bonus iam non inuidus eſſet. Amor enim virtutis ſine virtute eſſe non poteſt: Imò ipſemet virtus eſt. Itaque qui inuidet alienæ virtuti, profectò id idcirco facit, quia eum cui inuidet, eo nomine celebrem haberi aut futurum, vel hîc, vel in patria videt. Quòd ſi ita virtutem coleret, vt nemo præter ſe id reſciret, nec inde præmia in cælo maiora ſperaret, non puto hîc inuidiæ locum eſſe poſſe. Nec enim diabolus ipſe homini virtutem inuidet, ſed gloriam, ad quam viam eſſe virtutem videt: Tamen ſi quis talis Timon exiſteret, monſtrum ille hominis non homo dicendus: Et hunc vt ſanemus, eum ad Anticyras nauigare, aut elleborum bibere iuberemus.

DIXI.

De

De peccato Iræ.

Oratio Catechetica XI.

SI tam facile esset (Auditores) peccata vitare, quàm procliue est aduersus illa disputare: si tam expedita vitiorum fuga esset, quàm est eorum non iniucunda doctrina: si vt mihi quidem de illis disserendi prouincia est necessaria, vobis autem hæc me disserentem audire non ingratum: sic vtrique nostrum perinde obuium & in promptu esset, quæ hîc dicuntur & audiuntur, opere præstare: esset profectò hæc tota de peccatis istis capitalibus, id est omnibus, (siquidem huc cætera omnia referuntur) disputatio, vt ad momentum huius temporis iucundissima, sic toto vitæ nostræ tempore vtilissima, maximéque fructuosa. Etenim nullum vtilius, præstantius, ac fœlicius bonum homini Christiano conferri in hac vita potest, quàm *vt declinet à malo, vt exuat veterem hominem, vt crucifigat hanc carnem suam cum vitiis & concupiscentiis eius.* Sic enim proximè fit *vt faciat bonum, vt induat nouum hominem, vt conformis sit imagini filij Dei*: quod qui facit, is certò sibi polliceri debet se esse hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Nunc autem siue ea sit corruptæ naturæ nostræ tabes & languor quidam, siue ipsis vitiis insita quædam

Psal.36.
Ephes.4.
Galat.5.

abſurditas, ita factum eſt vt ſingula vitia atque peccata, ſicuti turpitudinem & enormitatem in ſe habent magnam, ita difficultatem ſecum adferant, & eluctandi laborem maximum. Adeò profectò vt nulla maior aut difficilior, ideóque glorioſior victoria ſit, quàm vitiorum & ſuiipſius. Et eſt quidem iſtud omnibus, vt dixi, commune, aſſiduum, quaſique inſitum. Nam quid difficilius ſuperbiæ victoria, quæ extrema veſtis eſt, quam peccatrix anima deponit, quæque in ipſis ſummis virtutibus inſidiatur? Quanta in auaritia compeſcenda difficultas, quæ nobis ſine ſe victum quæri non poſſe perſuadet, quæ prudentiæ, quæ neceſſariæ ſollicitudinis titulo palliata, niſi maximè attentis ſe ingerit? Quis gulam vincere niſi ſumma ſollicitudine poteſt, quæ naturæ ſe nomine venditat, quæ paſſim probata & honorata incedens, ſui moderatores contemptibiles facit, & nullius precij homines? Quid de luxuria repetere opus eſt, in qua quotidiana eſt pugna & rara victoria, qui perpetuus hoſtis eſt, quem excutere nō poſſumus, & vincere debemus: quæ nobiſcum naſcitur, & niſi morientibus nobis non moritur, quæ denique & in ſerico & in pannis dominatur; nulli ætati, nulli ordini hominum parcens, idque tanta cum tyrannide, vt iam legis titulum obtinuerit, *lexq; membrorum* nuncupetur? Taceo inuidiam, cuius quidem euitandæ nullam eſſe difficultatem

Peccati victoria difficillima.

putarem,

putarem, nisi hac vna peste totas familia, vniuersas Respublicas, ciuitates, regna, ipsas etiam celeberrimas Ecclesias, pessundari, deuastari, & in miserrimas calamitates redactas sæpe fuisse, omnes omnium temporum Historiæ loquerentur: nostra verò hæc ætas infælicissima omnium ferè Christianarum nationum exemplis clamaret ac vociferaretur. Venio ad id Capitale peccatum, cuius hodie tractatio suscepta est. Ira, inquam, huiusmodi peccatum est, vt præter variam illam & multiplicẽ in ea turpitudinem & enormitatem, etiam non nisi difficillimè vincatur: immanis quædam sit & truculenta bestia, qua multo faciliùs carere quàm regere & edomare possis. Nempe quum illas in se omnes difficultatis causas habeat, quibus cætera vitia laborant, (nam in magni ingenij viros plerumque cadit vt superbia; & necessariam rerum curam atque sollicitudinem prætexit vt auaritia; & naturalis quædam passio videri vult, vt gulæ appetitio; & in omni ætate feruet, vt luxuria; & maximorum malorum, bellorum, atque calamitatum sæpissimè causa extitit vt inuidia:) habet præterea, quod nulla alia vitia habent, illam propriam quandam atque singularem in se difficultatem, vt quia virtuti interdum affinis est, imò præclara, virtus sit, eo se nomine speciosiùs commendet, eo difficiliùs eam deprehendas, eo rariùs vincas. Neque enim vllum aliud vitium virtutis

Iræ superandæ propria difficultas.

aliquan

aliquando nomine censetur. Nunquam superbia commendatur. Nemo auaritiam laudauerit. Nulli potest luxuria probari. Semper gula vitium, semper turpis inuidia est. Itaque hæc quidem omnia prima statim facie pro vitiis recognoscas atque deprehendas. At occultus, fucatus, & fraudulentus hostis ira est: virtutis & recti nomine se venditat. *Surrepit enim, dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta*, ait Augustinus: tantò sanè periculosior, tantò ad vincendum difficilior. Vnde meritò Salomon scripsit: *Melior est qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem magnam.* Ideo orbis domitor ille Alexander, quia hac in parte seipsum non domuit, sed ira percitus & amicissimum sibi Clytum interfecerit, & Callisthenem informatorem suum indignissimis modis tractauerit, omnem illum ingentem virtutum suarum & rerum præclarè gestarum splendorem non offuscauit tantùm, sed & penitus obliterauit. Quæ cùm ita sint (Auditores) quæ hodie de iræ vitio, natura, remediis disputabimus, diligenter, quæso, quod facitis, attendite, & imis ea sensibus, si placet, reponite. Eo autem ordine quo in cæteris hactenus fecimus, procedemus.

Epist. 149.

Prou. 16.

Iræ natura.

Ira est immoderata vindictæ cupiditas. Neque enim simpliciter omnis cupiditas vindictæ illicita est, sed immoderata tantú: siue in causa iusta modum excedat, siue ex causa non iusta procedat. Causa iniusta, est

iniuriam ſuam & propriam vindicare: hæc enim vt propria nunquam eſt vindicanda. Sed iuſta eſt vindictæ cauſa, quum vel Dei honor aſſeritur, vt Phinees & Moyſes irati ſunt; vel ipſis ita expedit quibus iraſcimur. Sic enim & Saluator, *circumſpexit Phariſæos cum ira, contriſtatus de cæcitate cordis eorum*, quòd Sabbatis curationes nõ ferebant: hinc nempe dicitur: *Iraſcimini & nolite peccare.* Quod quidem Pſalmiſtæ dictum *non rectè intelligunt*, (ait Gregorius) *qui iraſci nos nobis tantummodo, non etiam delinquentibus aliis volunt. Si enim ſic proximos vt nos amare iubemur, reſtat vt ſic eorum erratibus ſicut & noſtris iraſcamur.* Itaque aliud eſt ira per zelum, aliud ira per vitium. *Ira per zelum ſapientes turbat, ira per vitium ſtultos interficit*, ait idem ibidem. Sic illa Pſalmiſtæ verba exponit Ambroſius: *Iraſcimini vbi culpa eſt cui iraſci debeatis.* Rurſus etiam docent hæc verba, vt idem monet Ambroſius, & poſt eum Auguſtinus, *vt in ipſa iuſta ira modum teneamus, vt non peccemus, vt non vincatur ratione iracundia.*

Marc. 3.
[illegible] 4.
Moral. lib. 5. cap. 33.
Offic. lib. 1. cap. 21.
Enarrat. in Pſal. 4.

Aliud eſt autem iratus: aliud iracundus: Hic calamo ſimilis citò accenditur & citò extinguitur: ille vt lignum craſſum tardè accenditur, ſed diutiſſimè ardet. Habet autem & variam, eamque teterrimam ſobolem hoc iræ vitium. Etenim rixas parit, ad contumelias & conuicia prouocat, ad blaſphemias incitat, & rancorem animi ac tu-

Iratus & iracũdus.

morem mentis inducit. Quæ quidem omnia notiora ſunt, quàm vt demonſtratione res egeat. Sanè ab ira cauere monens Apoſtolus hæc ferè ſingula recenſet: *Omnis*, inquit, *amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis.* Et rurſum: *Deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Hæc enim omnia ſecum ira adfert, vel vt pediſſequas & appendices, vel vt filias. Sed de ipſa ira videamus, quantum ea malum ſit: Nam radice extirpata, quæ inde pullulant, ſua ſponte flacceſcent atque areſcent.

Epheſ. 4.

Coloſſ. 3.

Ira duplex.

Quum itaque Ira ſit duplex (vt dictum eſt) vel ex iniuſta cauſa, vel modum excedens, de vtriuſque grauitate & turpitudine ſeorſum agemus. Neque enim perinde in vtraque peccatur: Sed eſt altera quidem deformior, altera verò vitioſior, & magis habens de ratione peccati, de qua quidem primo loco dicemus. Itaque ira quæ ſuam propriam iniuriam vlciſci & vindicare appetit, illa penitus damnabilis eſt, illicita & ſemper fæda: idque multis nominibus. Primùm quia à profeſſione Chriſtiana maximè aliena eſt: & id quoque variis ex cauſis. Nempe nemo Chriſtianus, quantumcunque grauiter offenſus, proximo iraſci debet, aut vindictam expetere de proximo: quia contrà, omnis Chriſtianus tenetur perpetuò diligere proximum. Hoc

Ira ex iniuſta cauſa, quot modis peccatum.

au tem

autem violat dilectionem proximi. Sunt enim hæc repugnantia, diligere proximum ſicut teipſum, & velle vindicare in proximum, quod fieri nolles in teipſum. Et hæc cauſa eſt, ob quam iubet Saluator, *diligere inimicos noſtros*. Hoc enim quantum ad dilectionem communem præceptum eſt omni tempore ſeruandum, id eſt, vt ſemper diligas, nunquam odio habeas, licet ſpecialem dilectionem extra neceſſitatis caſum impendere non ſit præceptum ſed conſilium. Quiſquis ergo vindictam in proximo appetit, peccat contra dilectionis mandatum. *Matt. 5.*

Præterea Chriſtus iubet *non iraſci fratri. Qui iraſcitur*, inquit, *fratri, reus erit iudicio.* Neque eſt hoc primum à Chriſto præceptũ, vt videri poteſt ex verbis Saluatoris, *Antiquis dictum eſt, qui occiderit, reus erit iudicio: ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Neque enim veterum iuſtitia aut imperita, aut intemperans fuit: Nec iracundiæ vitium tunc primum cœpit ad iuſtitiam pertinere, quũ hæc Chriſtus in monte diceret. Sic enim non adimplere quod veteri legi defuit, ſed nouam per omnia inſtituere legem Chriſtus diceretur. Denique ipſa ira non minùs in pſalmis ac Sapientis libris damnatur, quàm in nouo Teſtamento. *Sed* (ait Auguſtinus) *quia non intelligebant vulgò Iudei homicidium, niſi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem ini-* *Matt. 5.* *Contra Fauſtum lib. 19. cap. 20. & 25*

iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Neque etiam vindicta, quam illa lex permisit, *oculum pro oculo, dentem pro dente, fomes sed limes furoris erat.* Non vt iram accenderet, sed vt iræ modum imponeret. Sed inquies, Non omnem planè iram hic prohibuit Christus, sed eam quæ temerè, & quæ sine causa suscipitur. Sic enim in græco legimus. *Qui irascitur fratri suo* εἰκῆ, *sine causa.* Et sic græci Patres, Basilius, Chrysostomus, & Theophilactus non legunt tantùm, sed etiam inde colligunt non omnem iram damnari, sed etiam quæ temerè suscipitur & sine causa. Equidem fateor cum istis Patribus illam solùm damnari à Saluatore iram, quæ sine causa suscipitur. Quamquam illud *sine causa,* & Diuus Hieronymus & Diuus Augustinus in verioribus græcis exemplaribus suo tempore non reperiri asserunt. Sed nihil hoc iram, quæ vindictam in fratre expetit, iuuat. Nec enim fratri vllo modo irascendum siue ex causa, siue sine causa. Quod sic pulchrè explicat Augustinus. *Nō fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo non peccato fratris irascitur, sed ipso fratri, ipsi personæ, ille sine causa irascitur.* Qui vindictam appetit in persona, non in peccato, ille irascitur sine causa, ille reus erit iudicio. Vnde Basilius: *Quomodo irasceris sine causa? cùm dæmon instigat, & homo instigatur, tu homini maledicis, sicut canes qui saxa mordent,*

In com. ad Matt. cap. 5. Retract. lib. 1. ca. 19.

Vbi suprà

Hom. 10.

quan

quando iactantes non attingunt. Hoc Apo- 2. Thes. 3.
stolus docuit dicens : *Nolite inimicum exi-*
stimare, sed corripite vt fratrem. Corripere vt
fratrem est, absque iracundia in personam vi-
tium corripere : Hoc est illud perfectum o-
dium de quo Dauid ait: *Perfecto odio oderam* Enarrat.
illos. Hoc est, ait Augustinus, *nec propter vitia* in Psa. 138.
homines odisse, nec vitia propter homines dili-
gere. Sed quanto magis naturā hominis amas,
tanto magis vitium odisse, quod naturam illam
a te sic adamatam fœdauit. Perfectum autem
est odium, non quasi ex consilio veniat, sed
quia solum legitimum est. Alioqui Moyses
homo veteris Testamenti quomodo oderat
peccatores, quum pro eis orabat, & quo-
modo non oderat, quum eos occidebat, nisi
quia perfecto odio oderat illos.

At rursum dices : Quotus quisque vel in
malefactorem animaduertere, vel ius suum
prosequi, vel vim vi repellere potest absque
animi iracundia in proximum ? vel vt sic
exactè peccatum à persona distinguat ?
Olim quidem hoc nomine malè audiebat Epist. 4.
Christiana religio (vt videre est apud Au- 158. 159.
gustinum) quod disciplinam Reipublicæ & 160.
dissolueret, nec vi vim repellere sineret,
iusque naturæ tolleret, docens videlicet
vincere in bono malum. Sed respondet Au-
gustinus : *Correctionem malorum, quæ Reipu-*
blicæ est necessaria, Christianam religionem
non auferre, sed vindictæ cupiditatem, quæ

alieno malo animum pascit, & omnibus est exitialis, penitus prohiberi atque interdicere. Permittitur vindicare & punire, sed prohibetur cupiditas vindictæ, prohibetur furor ille & inquietudo animi in proximum ipsum, non in peccatum proximi. Ideo subiicit: *Præcepta patientiæ semper in cordis præparatione sunt retinenda, ipsáque beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est.* Ab hac beneuolentia & charitate, ne in ipso quidem vindictæ feruore recedendum est. Sed quî hoc fieri potest, inquit? Sanè amor proximi (quo nunquam vacare debes) nullo negotio hoc facit. Sed quomodo, inquis, simul amare simul & vindicare atque corripere possum? Vide hoc in parentibus: *Pater quem diligit filium corripit. Hoc enim* (ait Augustinus) *apertissimum exemplum datur, quo satis appareat posse peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui.* Dilige proximum, & eundem affectum in ipsa vindicta senties. Quid ergo? si cupiditate vindictæ flagrauero, & non vitium tantùm sed & personam persequutus fuero, homicida cēsebor ex illa Saluatoris sententia? non quidem homicidij reus est qui irascitur, sed ad homicidium, id est, ad odium citò labitur. Odium nēpe pro homicidio habetur, dicente Ioanne: *Qui odit fratrem homicida est.* Ad odium autem ira tendit, sicut iuramentū ad periuriū. Quemadmodum ergo iuramentum prohibetur,

Epist. 5.

De Serm. Domini in monte lib. 1. cap. 37.

1. Ioan. 3.

ne fiat

ne fiat periurium, ſic omnis ira, ne ſequatur odium. Ob id de leuioribus ſententiam dedit Chriſtus, vt de grauioribus dubitare non debeas. Sic Oecumenicus: *Radicem cædis incidit. Qui enim non iraſcitur*, nunquam ad cædem perueniet. Itaque per modum cantelæ hoc dicitur, vt docet etiam Auguſtinus, *Quæ ex* (inquit) *perſona loquebatur Chriſtus, vel ad expoſitionem veterum præceptorum valebant, ſi quid illa obſcurius poſuiſſet, vel ad tutius conſeruandum quod illa voluiſſet*: Per cantelam ergo dicitur, *omnis qui iraſcitur, reus erit iudicio*. Cantela inquam eſt, in primo motu, ſed ſi indignationis motus appareat, atque etiam vocis formatæ cõtumelia ſequatur, vt *vocetur fatuus*, cui iraſcimur, iam *gehennæ obnoxios* facit. Etſi enim hoc peccatum *leuiſſimum putari poſſet, tamen in Scripturis demõſtratur opinione eſſe grauius*, ait Auguſtinus. Præterea ſic eſt ab homine alienum hoc iræ vitium, vt iram domare propria ſit Chriſtianorum nota. Hoc eſt enim *nouum mandatum diligere inuicem*, quia nouos homines facit. *Sic filij Dei ſumus & imitatores patris noſtri cæleſtis, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos*. Hæc illa eſt ſola præceptio, quam à ſe diſcere nos Saluator voluit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*. Super hunc requieſcit Spiritus Sanctus, &c.

In com. ibidem.

Contra Fauſtum lib. 19. cap. 26.

Auguſt. de ſerm. Domini in monte lib. 1. cap. 19. & Enchi. cap. 79.

Ioan. 15.

Lucæ 6.

Matt. 11.

Iam verò ita Chriſtianis hoc eſt proprium, vt pacto nos ad illud obſtrinxeri-

Iræ frenãdæ necessitas.
Hom. 40.

mus, nec alia lege remissionem peccatorum consequamur. *Pactum & placitum cum Deo facimus* (ait Augustinus) *conditionem soluendi omnes in cautione subscripsimus*. Et ne memoria laberetur quotidie in oratione dominica hoc pactum repetimus. Quid ergo? dicimus aut non dicimus? Si non dicimus miseri, si dicimus & non dimittimus, miseriores sumus. Hinc Scriptura dicit: *Homo homini reseruat iram, & quærit à Deo medelam*? Et rursum: *Qui vindicare vult, inueniet vindictam à Deo*. Denique Christus ipse ait: *Si non remiseritis vnicuiq; de cordibus vestris, nec pater vester remittet vobis*. Tot ergo de causis atque nominibus à Christiano homine aliena est illa primi generis ira, quæ cupiditas vindictæ est, quæ sine causa fit, quæ homini, non vitio succenset.

Eccli. 28.
Matt. 18.

Ira quæ modum excedit.

Immoderata autem quando hæc cupiditas vindictæ est, siue in vitium siue in personam feratur, turpis res admodum & deformis est, sed si in hominem feratur turpissima. Et primùm quidem est huiusmodi ira proximis valde molesta. *Spiritum enim ad irascendum facilem quis poterat sustinere?* ait Sapiens. Et rursum: *Noli esse amicus homini iracundo. Feræ enim potiùs* (ait Chrysostomus) *quàm iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cùm semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem: hunc autem quotiescumque mitigaueris,*

Prou. 18.
Hom. 29. ad pop. Antioch.

ueris, rursum efferetur. Nihil præterea hoc vitio absurdius. *Hominem ita deformat,* vt (scribit Chrysostomus) *si furoris tempore posset irascens sibi ipsi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim irascentis deformius aspectu. Nam in eo fit quod Ioannes scribit: Qui odit fratrem in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quoniam tenebræ occæcauerunt oculos eius.* Pallescit vultus, corrugatur frons, obducitur supercilium, tumescunt labia, inflantur oculi, furit vox, tremunt genua, ebrij speciem gerit. Ideo dæmoniaco eum comparat Chrysostomus. *Spuma enim immundiora verba emittit, neminem recognoscit, &c. Nihil vt homo loquitur, sed hæc quidem vt fera, illa vt furens, alia vt dæmon quispiam.* Ibidem. Homi. 30. & 31. ad pop. Ant.

Quis verò satis exprimat quàm noxium præterea malum sit? Animi omnem vigorem aufert. *Sicut enim in maris tempestate multus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis Philosophandi tempus habet, ita nec in ira. Quemadmodum sanè nec solis radius cernitur, quum commotæ nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons inspicienti imaginem reddit, quem tranquillus propriè ostendit, sic animus ira commotus nihil videt.* Dolorem quoque & cruciatum animo adfert maximum. Quantũ enim tormentũ homini est quotidie de vlciscendo inimico cogitanti ac meditanti? Semetipsum maximè flagellat, intrinsecus tumens, intus aduersus se Chrysost. hom. 30. Gregor. Moral. lib. 5. cap. 33.

pugnans & exardeſcens. Nulla ſic vipera queat animum laniare, vt ſolet ira ſeipſum torquere.

Iræ excuſationes.

Sed habet (ſi Chriſto placet) bellas excuſationes. Iræ, inquiunt, ſunt verba quæ imprudenter extuli nó mea. Quomodo verò ſunt iræ verba? vires illa non habet niſi ex te ſumat, quale ſi quis dicat: Non ego illa vulnera intuli, manus meæ id perpetrarunt. Sed & iterum excuſant. Ille prior cæpit: ille prouocauit. Ad hoc nos maximè cődemnat, quia nec alterius exemplo edocti & correcti fuimus, vt ſi quis homicida diceret, ego primus homicida non fui. Quum tanto grauiùs quis peccet, quanto plurium exemplis præmonitus cauere non voluit.

Iræ remedia.

At nunc de remediis huius mali dicamus. Satis enim de eius turpitudine dictum videtur. Sunt autem varia & huiuſmodi quæ homini ratione prædito difficilia eſſe non debebant. Quæ tamen ratio ſi fortè hac in re minùs ſit efficax, habet & fides vnde huic malo mederi valeat. Itaque de ſingulis agamus.

Primùm iræ remedium eſt, non temerè efferri, ſed de ea quæ iniuria videtur diutius paulo cogitare, remque apud te nonnihil perpendere. Etenim ipſa deliberandi & cogitandi mora iræ impetum frangit atque retundit. Talis fuit pœnitétia Theodoſio principi iracundo iniuncta à ſancto Ambroſio, *Vt ſententia capitalis ab eo lata non niſi*

Sozom. lib. 17. ca.

ſexa

ſexaginta poſt dies executioni mandaretur. Da tempus cogitationibus (ait Baſilius) *ad optimam eligendi partem opportunum. Pulchrum enim eſt præuenire cogitatione* , (ait Ambroſius) *quæ voluendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus*. Et hoc quidem vt fiat monet ſapienter ſanctus Gregorius, *vt mens ſolicita antequam agere aliquid incipiat, omnes ſibi quas pati poteſt, contumelias proponit, & ad aduerſa ſe præparet; quæ nimirum tanto fortiùs venientia excipit, quanto ſe cautiùs ex præſcientia armauit*. Dici enim ſolet, præmeditata mala minùs feriũt. Et iſta quidem cogitatio homini Chriſtiano eſt neceſſaria, vocati enim ſumus non ad delicias ſed ad pugnas; & dicitur nobis: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*: & iterum conſonans Saluatori Apoſtolus, domino diſcipulis: *Patientia*, inquit, *vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*. Et quare eſt neceſſaria? *Omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur in hoc ſæculo*. Hac itaque cogitatione facilè ira repellitur.

Homil. 10.

Offic. lib. 1. cap. 21.

Moral. lib. 5. cap. 31.

Luca 21.

Hebr. 10.

1. Tim. 3.

Rurſum ſi cogitemus à nemine nos lædi poſſe niſi à nobis ipſis, iis enim iraſcimur qui nos læſerunt. At verò ſolum peccatum eſt quod nos lædit, & illud ſemper voluntarium & à nobis eſt. Nam etſi in opibus, in honore, & ſimilibus lædamur, hæc non ſunt noſtra: *ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ouem*

Chryſoſt. homi. quòd nemo læditur niſi à ſeipſo.

lupus, vinum aceti commutatio, mellis dulcedinem amaritudo corrumpit: sic hoc homini proprium vnde lædatur peccatum est. Sic Basilius: *Non verba solent tristitiam mouere, sed superbia nostra & phantasia cuiusque.* Homil. 10. *Qui ergo quomodolibet afflictus* (ait Chrysostomus) *in iram erumpit, grauiter sanè est læsus, sed per impatientiam suam.* Nec hoc tibi paradoxum videatur. Dicere Diogenes potuit: *Isti me irrident, at ego non irrideor*, & dicere Christianus non poterit; Isti me lædunt, sed ego non lædor? Docuit nos Christus ne mortem quidem timere: *& hoc egit mors eius, ne mors vltrà timeretur.* Quid ergo alia morte minora metuimus? Aut si non metuimus, quomodo illis vel sublatis vel imminutis irascimur?

Plutarch. in Fabio.

Augu. in epist. ad Rom. 4.

3. Remedium.

Atque hæc quidem remedia esse possunt ne ira surrepat. Quòd si verò (vt sæpissimè fit in iis qui iracundi sunt) ira præuenerit, hîc Apostoli consilium locum habet: *Date locum iræ*: & iterum: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Nam vt ait Sapiens: *Responsio mollis frangit iram, & sermo durus suscitat furorem.* Itaque cedendo vincitur, resistendo augetur malum. *Citò culpa culpam excutit*, ait Ambrosius; *si lapides teras, nónne ignis erumpit? Nónne vides* (ait Basilius) *quemadmodum sagittæ, si duriora offendunt, resultant ac excidunt; in mollibus verò facilè impetum remittunt? ita & in contumeliis euenit, qui eis occurrit & resistere vult,*

Rom. 12. Prou. 15.

Offic. lib. 1. cap. 21. Hom. 10.

illas

illas in se recipit; qui autem ad eas excipiendas mansuetudine se parat, omnia excutiet. Sic Abigail iratum Dauid dulcibus verbis placauit. Vt autem hoc fiat, considera nisi cesseris teipsum vinci ac superari ab ira. *Quanto verò honestius est* (ait sapienter Augustinus) *vt homo nos vincat alius, quàm vitium proprium? aut homo quàm vitium? qui enim nos offendit homo, etsi vitium habet, non tamen vitium est.* Itaque vt alibi ait: *qui irasceris seruo tuo, quia peccauerit, irascere & tibi, ne ipse pecces*; vbi exemplum illud Architæ Tarentini ab Ambrosio citatum locum habet.

Lib. de vera reli. cap. 45.

Enarrat. in Psal. 25.

Offic. lib. 1. cap. 21.

Rursum vt iram vincas, tuas labes & sordes considera. Nam vt pulchrè monet Gregorius, *considerata infirmitas propria mala nobis excusat aliena, & quasi aqua ignis extinguitur, dum furorem in vitium alterius proprium obruit.*

4. Remedium. vbi suprà.

Sed potentissimum ad hanc rem remedium est Christi exemplum & recordatio; quod Apostolus docens ait: *supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersum aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis.* Nempe tunc agitatur *hæc nauis animi nostri fluctibus ira, tunc dormit in te Christus* (ait Augustinus) *quum oblitus fueris passionem Christi: tunc in te vigilat Christus, quũ memineris passionẽ Christi: quod cum feceris, nónne & tu æquo animo tolerabis? Imo & gaudebis quia inuẽtus es in aliqua*

5. Remedium. Colos. 3.

Enar. in Psal. 54.

similitu

Luca 23. *si similitudine passionum regis tui. Non* enim *est discipulus maior Domino : &, si in viridi ligno hoc faciunt* (ait Christus in mediis illis suis tormentis & opprobriis) *in arido quid fiet?*

Hebr. 12. Ideo scribit Apostolus : *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum se contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* Nondum condemnatus

Homil. 10. es (ait Basilius) nondum cruci affixus es. Multa tibi toleranda sunt, vt ad eius imita-

Psal. 54. tionem peruenias. Ita sanè fiet, vt *expectantes eum qui saluos nos fecit, non pereamus in pusillanimitate spiritus & tempestate* : hac inquam ira; vulgari quidem illa sed planè muliebri, & viro indigna, nedum Christiano.

DIXI.

De Accediæ Peccato.

Oratio Catechetica 12.

EST ita vsu comparatum (Auditores) vt quibus aut animi aut corporis cura cordi est, quique ideo vel Theologos vel medicos magistros audiunt, vt suæ vel sanitati vel saluti consulant, non autem vt artem alterutram discant, ij demum de illis seu animi seu corporis morbis libentissimè disputari audiant, quibus ipsi aut laborant, aut ob-

noxij eſſe ſolent. Etenim de pleuritidi, de podagra diſputantem medicum non is libenter audit, qui quidem ad tuendam ſanitatem ab illis morbis nihil ſibi metuens, ſola pituita & humoribus planè contrariis laborat. Sed ea demum illi diſputatio gratiſſima eſt, quæ de huiuſmodi morborum naturis, cauſis, atque remediis tractat, à quibus ille maximè infeſtari ſolet. Non ſecus in hac inſtitutione Chriſtiana & morborum animi, peccatorum ſcilicet explicatione, vbi præſertim non tam diſcendi quàm in virtutis ac pietatis via promouendi cauſa conuenitur; eius (opinor) morbi eius peccati tractatio erit iucundiſſima, cuius quidem tota ratio Chriſtianis hominibus propria eſt: tota ſanè eius corruptio atque infectio omnibus aut penè omnibus communis eſt. Nam capitale illud peccatum quod vnicum iam tractandum ſupereſt, quódque *Acediam* (ſumpto à Græcis vocabulo) nuncupamus, *indeuotionem* aptiſſimè dixeris, vt Cicero *indoleſcentiam*: Vitij quoddam genus eſt Chriſtianis & verum Deum colentibus proprium, & præterea (quod ſine confuſione dicere non poſſum) omnibus aut penè omnibus commune. Nam de aliis quidem vitiis quæ capitalia dicimus, de ſuperbia, auaritia, gula, luxuria, inuidia, ira, diſputarunt multa grauiter Philoſophi ethnici, more quidem ſuo, in multis videlicet ineptè & impiè, in omnibus verò imperfectè: eo quòd & re-

Acedia vitiũ chriſtianis proprium.

gulam

gulam virtutum suarum solam rationem non Dei legem æternam posuerunt, & principia illarum semina quædam à natura indita, non Dei præuenientem gratiam, atque diuinitùs infusas virtutes statuerunt; & finem denique totius rei bonum humanum, non Dei cultum definierunt. Sed verò de Acedia quam dicimus, nihil illi dicere potuerunt, *quia Deum non glorificauerunt, non coluerunt:* in cuius neglecto cultu huius vitij ratio potissimum consistit. Est igitur huius peccati ratio, cognitio, tractatio Christianis & verum Deum colentibus propria. Vtinam verò vt tractatio eius nobis est propria, ita corruptio & infectio eius nobis omnibus non esset communis. Vtinam sicut soli Christiani veri Dei verum cultum profitemur, ita ab huiusmodi cultus fastidio atque neglectu tam procul abessemus. Esset profectò non hodiernæ tantùm Catechesis, sed & totius huius catecheticæ professionis labor, ad moralem eius, quod attinet partem, superuacaneus & minimè necessarius. Est enim huius vnius peccati tanta pestis, tam vniuersa quædam corruptio, vt quemadmodum alia peccata gignit superbia & improbus amor sui, ita eadem omnia nutriat foueatque Acedia, & desidiosa quædam incuria sui. Est omnium peccatorum mater & radix superbia. Est eorundem omnium nutrix & altrix Acedia. Illa concipit, gestat, parit. Hæc fouet, nutrit, & ad

Rom. 1.

Acedia omnium peccatorũ nutrix.

id augmenti producit, vt compleatur omnis malitia. Itaque si in aliis peccatis (Auditores) attenti eratis, nec illibenter quæ de ipsis dicebantur excepistis, in quibus tamen non ad omnes pertinere poterant quę dicta sunt, (neque enim omnes superbiæ obnoxij sunt, non omnes ab auaritia tentamur, non omnes luxuriæ stimulis agitantur, non omnes cum gula concertant, non omnes ira perturbat, non omnes affligit inuidia,) in hoc certè Acediæ peccato attentissimos esse vos conuenit, quia profectò, nisi vehementissimè fallor, atque vtinam fallar, Acediæ morbo ad vnum omnes plus minus laboramus. Quæ quidem quanta miseria sit, quàm indignum atque pudendum facinus, hodierna, Deo dante, docebit homilia. Sed primum quid sit *Acedia*, paulo apertiùs dicamus.

Acediæ nomine intelligitur duplex quoddam malum, vel torpor & pigritia in aggrediendo & auspicando bonum, vel tædium, fastidium atque tristitia in perseuerando. Sic enim hoc vocabulum intelligit Bernardus, vt hæc pro vno coniungeret, *torpor*, *Acedia*, *tædium*. Sanè apud antiquiores patres hanc vocem non reperio. Peccant itaque primo modo, qui pigrè, tardè, & cum tristitia opera bona aggrediuntur, vt ieiunia, orationes, & similia. Qui labores detrectant in discendo, docendo, vel ea faciendo quæ ad vocationem suam pertinent. Peccant secundo modo, qui inchoata bona

Acedia quid.

Conc. 21. in Cant.

opera

Acedia quãdo peccatum mortale.

opera ex tædio & faſtidio intermittunt. Et ſi quidem ea vel omittuntur vel intermittuntur, quæ aut ex præcepto ſunt, aut alioqui ad ſalutem neceſſaria: & talis quidem remiſſio ſeu omiſſio ſit cum pleno rationis conſenſu, non ſurreptio tantùm aut humanæ fragilitatis languor, cui repugnandum & reſiſtendum eſt, fit in tali Acedia peccatum mortale. De ſobole huius peccati non eſt quod multum admoneamus, quum profectò omnia quotquot ſunt peccata, propter iſtam deſidiam & animi remiſſionem committantur.

Propriè tamen parit hæc Acedia, quam *triſtitiam* vocauit Gregorius, malitiam & contemptum quendam Dei, rerúmque diuinarum, & in aliis quidem puſillanimitatem quandam & diffidentiam omnis futuræ emendationis: in aliis verò veniæ deſperationem, in quam quaſi in extremum barathrum expellit hominem Satanas. Facit enim ignauia & torpor iſte, quum nonnihil inualuerit, vt impoſſibilitatem quandam præceptis Dei ineſſe exiſtimemus, atque ita de emendatione fiduciam omnem abiiciamus. Deinde auctis innumeris peccatis de venia facit deſperare, deſperantem ſequitur odium, malitia, & blaſphemia in Deum, tanquam iniuſtũ & crudelem. Quæ quidem omnia ita ſe habere multis verbis præclarè docet Sanctus Chryſoſtomus, vt mox per ſingula ex ipſo diſſeremus. Nunc ad huius

flagitij

flagitij turpitudinem & grauitatem demonstrandam, ordine & sigillatim veniamus.

Quàm pestilens malum acedia sit, torpor, inquam, & desidia illa primi generis circa auspicandum bonum opus, variis ex causis demonstrat Scriptura. Et primùm quidem docet nihil esse Deo magis odiosum. Neque enim quicquam est, cui magis in Euangelio Saluator & acerbiùs comminetur, quàm huic desidiæ & torpori. Nempe non vult solùm à malis abstineamus, sed præterea vt fructus egregios proferamus. Docent quidem alia peccata declinare à malo, docet istud facere bonum. Qui enim hanc desidiam excutiet, is operabitur bonum. Sed Christi iustissimas cõminationes audiamus: *Omnis*, inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Et rursum: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum Pater meus.* Imo nec sine stomacho hoc asserit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Ideo venit: ideo docuit, ideo passus est, *vt bonum operantes inueniamur in laude ipsius.* Propterea vt variis parabolis hoc docuit. *Anni*, inquit, *tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide illam, vt quid & terram occupat?* Et rursum in diuisione talentorum, *Serue* (inquit) *male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, &*

Matth. 7.

Ioan. 15.
Lucæ 12.

1.Pet.1.

Lucæ 13.

Matt. 25.

congrego vbi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & ego veniens recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura. Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: Nemo eſt qui vnum talentum non habeat, qui non vna aliqua in re fructum facere & ſibi & aliis poſſit. Id niſi fiat, videtis quàm Deo diſpliceat, & quanta pœna otioſum ac deſidem ſequatur. Rurſum &

Matt. 20. alia parabola hoc docet, vbi dicit: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi? venite & vos in vineam meam, & quod iuſtũ eſt dabo vobis.* Itaque otioſum neminem eſſe permittit. Adeò ſanè

Mat. 12. vt grauiter & terribiliter dicat: *Omne otioſum verbum quodcunque loquuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Iudicij.* Si in verbis, quanto magis in factis? Docent itaque ſatis clarè hæc Saluatoris verba, quàm ſit primi generis acedia illi odioſa.

An verò ſi ſemel quis operari cæperit, & fructum facere ab his Chriſti minis immunis videbitur? imò ſanè: nec minus Deo exoſum eſt tædium illud & faſtidium bene a-

Galat. 5. gendi, quo (vt loquitur Apoſtolus) *poſtquam Spiritu cæperimus in carne conſummamus.* Vide enim quid etiam de hoc genere Spiritus Sanctus nos docuerit, & quàm ſæpe quàm vehementer. Contra hoc enim vitium

Matt. 10. *Luc. 9.* dixit Saluator, *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et iterum: *Nemo mittens manum ad aratrũ & reſpiciens retro aptus eſt*

regno

regno Dei: Apoſtolus magiſtri mentem optimè intelligens, Chriſtiani hominis vitam eſſe docet, ſemper porrò pergere: *Vnum*, inquit, *ea quæ ſunt retro obliuiſcens, ad ea autem quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor, &c. Ibi enim incidunt homines in deficiendi periculũ,* (ait Leo magnus) *vbi perficiendi depoſuerint appetitum.* Quod etiam ante eum eleganter Auguſtinus ſcripſit: *Nemo dicat ſufficit mihi: vlteriùs non progrediar. Qui ſic dicit, remanſit in via, non nouit peruenire: vbi dixit ſufficit, ibi hæſit:* Itaque porrò ſemper pergendum eſt: viatores enim ſumus, nondum comprehenſores. Qui reſidet, deſidet: qui deſidet, deficit: qui deficit, retrocedit. Quod ſanè tantum flagitium eſſe indicauit Apoſtolus Petrus, vt audacter dixerit: *Meliùs fuiſſe non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt eam agnitam retrocedere ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mãdato.* Denique hoc ita deteſtatur Spiritus Sanctus, vt dicat: *Vtinã aut frigidus eſſes aut calidus: Nunc autem quia tepidus es, euomam te ex ore meo. Calidus nempe eſt* (ait Gregorius) *qui bona opera arripit & conſummat: frigidus qui nec inchoat quidem. Quiſquis ergo amiſſo infidelitatis frigore, ſed nequaquã tepore ſuperato exardeſcit vt ferueat: procul dubio calore deſperat, dũ noxio in tepore demoratur, agit vt frigeſcat. Et ſicut ante teporẽ frigus ſub ſpe eſt, ita poſt frigus tepor in deſperatione eſt.* Nẽpe hoc eſt quod ſcriptũ eſt, *Neſcit tarda*

Philip.3.

Serm.2. de Quadrageſ.

Enarrat. in Pſal.69

2.Pet.2.

Apocal.3.

Curæ paſtor par.3. Admõ. 35.

molimina Spiritus Sancti gratia. Qui enim accepta gratia non vtitur, non pergit, multo & faciliùs & sæpius in priora relabitur, quàm ad anteriora progreditur. *Qui enim* (ait Sapiens) *mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.* Nempe progressus bonorum sunt spirituales quidam animi ascensus in abrupto altissimi montis cliue. Hìc si hæretur, retrorsum caditur. Et turpior est relapsus, quàm si semper in fundo hæsisset. Præterea zelotes Deus est & pater ac sponsus amantissimus. Non vult infantem diuidi, sicut meretrix voluit. Aut integrum vult, aut nihil. Satan quidem partem vendicat: *Sed maledictus qui facit officium Domini negligenter.* Et *qui offendit in vno* (ait Iacobus) *factus est omnium reus.* Vult Christus *vt ardeat ignis,* vt ferueat: non vt quomodocunque tepeat. Neque verò inania hæc putes esse terriculamenta: *Beatus ille seruus quem inuenerit Dominus vigilantem, veniet enim qua hora non putatur.*

Prou.18. — *3. Reg. 18.* — *Ierem. 48.* — *Iacob. 2.* — *Lucæ. 12.* — *Luc. 12.*

Et oportebat quidem ita loquenti Deo, etiam nulla affulgente rei causa aut ratione, credere & obtemperare. Nunc autem & causas huius rei grauissimas aperuit nobis Deus: vt quos authoritas iubentis minùs mouet, saltem ratio necessaria impellat. Nempe voluit Deus, *pretium rerum omnium laborem esse*, vt notauit Augustinus. Nihil hîc dico de ipsa natura hominis, de

Enarrat. in Psal 93.

qua

qua ait Scriptura: *sicut auis ad volandum, ita homo ad laborem natus*: Non fingimus illas Iouis nundinas, vbi omnia labore erant venialia. Non vrgeo hanc vitæ præsentis conditionem, quòd *nil sine duro vita labore dedit mortalibus.* Nec illam peccati pœnam adhuc in gratia remanentem premo, quæ facit *vt in sudore vultus sui comedat omnis homo panem suum.* Sed sic est noui hominis & cælestis bonorum conditio, vt nec absque labore sit dimissus, nec hæc sine labore comparentur. Et quod ad hominis noui atque renati rationem attinet, planè sic voluit Deus, vt non nisi labore interim in hac peregrinatione viueret. Ideo difficultatem omnibus rebus comparandis inseruit. Ideo vitiorum omnium fugam (vt heri diximus) difficilem fecit. Ideo viam virtutis arduam, angustam, & laboriosam esse voluit. Cuius rei causam egregiam adfert author ille operis imperfecti, sic scribens: *Volens Deus hominem glorificare, tentationes immisit: Non vt maius illi iudicium faceret, sed vt non sine causa glorificet.* Nempe cùm ita cæteras creaturas suas honorauerit Deus, vt eis causalitatem aliquam communicauerit: homini perfecto non solùm in rebus huius vitæ, sed & in cælestium quoque bonorum comparatione causalitatem communicauit. Ideo vocamur ab Apostolo *cooperatores & coadiutores Dei*: quia videlicet & nostrã operam in singulis

Iob.5. *Gen. 2.* *Hom.14. in Matth.* *1.Cor.3.*

Deus desiderat. Declarat autem & alias huius rei causas Basilius: *Non ex inuidia*, inquit, *rerum opifex eas vitæ commoditates, quæ ex se sufficerent, suppetere noluit, sed indigentiam rerum necessariarum veluti exercitationem quandam ingenij fabricatus est. Primum vt his rebus animus detentus à rebus pessimis auocetur: Deinde quoniam ea quæ labore parta sunt, magis amantur: Postremò quia ea quæ longo temporis interuallo acquirimus, firmiùs permanere solent.* Itaque his omnibus de causis ad laborem & industriam homo etiam renatus vocatur. Cuius etiam rei argumentum illustre est, quòd & ipse Adam ante peccatum sic in Paradiso positus est, *vt operaretur & custodiret eum.* Vnde colligit Basilius, *primum & maximè proprium humanæ conditioni studium esse, vt operetur: inertiam verò & desidiam præter hominis naturam esse, & Deo summè odiosam.* Fuit autem illa Adami operatio *non laboriosa agricultura,* (ait Augustinus) *sed obedientia præcepto diuino, cui quidem parendo custodisset, non parendo amisit paradisum:* Quanto magis nobis præcepta Dei strenuè & diligenter obseruanda putabimus?

Orat. 6. ex 25. à Simone collectis.

Gen. 1.

In cap. 1. Esaiæ.

De Gen. ad lit. lib. 8. cap. 10.

Iam verò hanc esse quasi naturam cælestium bonorum, vt non nisi labore & industria comparentur, quoties Saluator docuit, & Apostoli monuerũt? *Contendite* (ait Christus) *intrare per angustam portam:* & iterum, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti ra-*

Luc. 13.

piunt

piũt illud. Quid ais ô Homo? quid loqueris? (ait Chryſoſtomus) *per anguſtam viam iuſſus es ambulare, & amplos requiris ingreſſus*, ſpatia lata & amæna expectas? Sed audiamus Apoſtolum: *Vnuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum laborem ſuum.* Quibus ſanè verbis docet Apoſtolus (ait Chryſoſtomus) *quantumcunque quis præclara & laude digna præſtet, tamen ſi ſine labore atque periculo id fiat, non adeò multam illam recipere mercedem.* Quod quidem & exemplo illuſtri demonſtrat ipſius Apoſtoli: *Miniſtri Chriſti ſunt*, (ait Apoſtolus) *vt minùs ſapiens dico, plus ego*: & oſtendere volens, qua in re cæteris excelleret, non dixit, tot & tantis à Hieroſolymis vſque ad Illyricum Euangelium prædicaui, tot ad Chriſtum conuerti, tot animas lucrifeci, ſed dimittens ſua omnia præclara facinora, mala tantùm quæ tolerauit enumerat, dicens: *In laboribus plurimis, in plagis ſupra modum, in carceribus abundanter, in mortibus frequenter*: & quæ ſequuntur ad longum. At verò Nabuchodonoſor, etſi poſt ſaluatos in igne tres pueros, fidem egregiè oſtenderet, & edictis confirmaret, non tamen ita illuſtris habetur, vt pueri ipſi: quia paſſi ſunt iſti plura, ille verò nihil. Hæc etiam cauſa eſt, quòd maximè glorioſa eſt Sanctorum Martyrum confeſſio: & inter martyres eorum qui acriora ſunt perpeſſi: vt S. Laurentij: qui leuites plus celebratur quàm Sixtus Pa-

Matth. 11.
Lib. 1. de compunct. cordis.
1. Cor. 3.
Epiſt. 7. ad Olympiam.
2. Cor. 11.

pa, quia acerbiora est passus. Hæc est itaque cælestium bonorum & solidæ gloriæ natura, vt labori debeatur. Idcirco ait Spiritus Sanctus in Apocalypsi, *Vincenti dabo manna absconditum & calculum candidum & nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quæ quidem verba septies ibi repetuntur, vt quàm diligentissimè animaduerterentur. Et rursum: *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Et quid hæc miramur, aut hanc esse rerum cælestium conditionem molestè ferimus? *Cælum paras ascendere* (ait Chrysostomus) *& regnum cæli inuadere. Ad illud gaudium animo tendis, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et interrogas ne qua tibi difficultas in itinere occurrat? Ne quid asperum in via tibi accidat, aut laboriosum? Non erubescis, non pudore oppressus, temetipsum sub terra defodis? Si omnia mala tibi occurrerent, iniuriæ, ignominiæ, calumniæ, gladius, ignis, ferrum, bestiæ, præcipitium, fames, ægritudo: si omnia quæ vel dici vel cogitari possint irruerent: nónne hæc tibi omnia spernenda & irridenda duces? Certè qui principibus seculi ministrant, & Reipublicæ negotijs inseruiunt, nihil de cõmoda habitatione, nihil de otio & requie inquirunt, sed tantùm si aliquid lucri temporalis habeat eius militiæ locus.* Hæc ille. Quid ni perinde in Christiana hac professione nostra affecti sumus? Illud animo reuoluamus, quòd *non sunt condignæ passiones vitæ*

Apoc. 2. & 3. — *2. Tim. 2.* — *De com. punct. cordis lib. 1.* — *Rom. 8.*

huius ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: sed *quod in præsenti est leue & momentaneum tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sanè qui hoc vnum præ oculis habet, næ ille à desidia & torpore alienissimus erit: dicétque cum Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Etenim (vt scribit Chrysostomus) *si aliquis nostrum vera cælestium bonorum cupiditate teneretur, omnia quæ videntur esse grauia, vmbras putaret & risum.* Solus enim charitatis defectus facit ista grauia videri. *Cui enim mandata grauia esse videntur* (ait Augustinus) *nondum illud donum accepit,* (charitatis scilicet) *quo fiunt leuia.* Inde enim (ait Bernardus) *perniciosa hæc tepiditas emanat, quòd affectus, id est, voluntas nondum purgata est, nec bonum sic homines volunt sicut nouerunt.* Alioqui *quantum est, siliqua laboris ad requiem incredibilem?* (ait Augustinus.) Si æqui rerum æstimatores sumus, æterna requies æterno labore rectè emitur. Sed paucorum annorũ labor expetitur. Quid stertis, quid torpes?

2. Cor. 4.

Psal. 16.

Lib. 1. de compunct. cordis.

De perfect. iustitiæ.

Serm. 3. de Ascens. Domini.

Enar. in Psal. 93.

Quòd si verò hæc te tanta præmia non alliciunt, considera saltem quomodo effugies pænam & barathrum in hac tua desidia? Nempe in medio laqueorum ambulas. *Caro semper concupiscit aduersus Spiritum. Lex illa membrorum repugnat semper legi mẽtis tuæ.* Hostem inclusum tenes. *Corpus quod*

Galat. 5.

Rom. 7.

Sap. 9.

corrumpitur aggrauat animam, & terrena hæc inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Rurſum antè oculos hic mundus obuerſatur. Honores te alliciunt, gloria vitæ huius, mammona iniquitatis tibi blandiuntur. Vt ſis filius huius ſeculi, vt amicus huius ſeculi conſtituaris: vt ſecundùm prudentiam carnis viuas, ad ſuas ſe partes attrahere mundus non deſinit: Ex altera parte clamat Apoſtolus: *Nolite conformari huic ſeculo: Nolite diligere mundum.* Sed infeſtiſſimus præterea *aduerſarius diabolus circuit ſicut Leo rugiens quærens quem deuoret: & eſt nobis colluctatio magna aduerſus principes & poteſtates tenebrarum harum:* & ab hoſte triplici perpetuò infeſtatus, in vtramque aurem dormis? altum ſtertis? nec audis Saluatoris vocem: *Vigilate & orate, ne intretis in tẽtationem?* nec audis Apoſtoli turbam: *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus?* Et rurſum, *ſollicitudine nõ pigri, ſpiritu feruẽtes?* Sanè propter hanc quotidianam pugnam & variam, in qua ſemper nos proſternit deſidia, ſcripſit Sapiens: *Multam malitiã otioſitas docuit: & inanis quæ ſolet eſſe mentis agitatio* (ait Baſilius de hac re rogatus) *naſcitur ex inertia ipſius animi: quãdo ſcilicet in rebus neceſſariis minimè ſe occupat.* Hoc ſatis docuit Saluator in illa parabola, de eo qui liberatus à dæmone, poſtea habẽs *domum ſuam ſcopis mundatam, à ſeptem deterioribus infeſtatur. Nam quæ vno exeunte ſpiritu mundabatur*

Rom. 12. 1. Ioan. 1. 1. Pet. 5. Epheſ. 6. Matt. 26. Epheſ. 5. Rom. 12. Eccli. 33. Reg. breu. ad interrog. 21. Matth. 12. Curæ paſtor. part. 3. Admon. 16.

anima,

anima, multipliciùs redeunte, dum otio vacat, occupatur, ait Gregorius. Cui ſubſcribens Beda. *Culpa*, inquit, *quam extinctam credimus, per iniuriam nos vacãtes denuo opprimit.* Quod ſanè adeò verum eſt, vt huiuſmodi tandem ignauia deſperationem pariat. Videntur enim omnia pigro dura & grauia. Vnde Sapiens: *dicit piger, leo eſt fortis, in medio platearum occidendus ſum.* Talis erat ille iniquus ſeruus in Euangelio, qui accepto talento fodit illud, dicẽs: *Domine, ſcio quia homo durus es: ideo timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra.* Etenim dum putant omnia difficilia, nihil moliri audent breuibus gyris & carmine dignum, vt verè omnium virtutum peſtem hanc ignauiam dixeris. Vnde Chryſoſtomus: *quemadmodum in cadauere tabes gignit vermiculos, quæ ab ijs iterũ augetur, ita ignauia deſperationẽ parit, ab ea mutuo & illa nutricatur.* Nihil ergo hoc vitio pernicioſius.

In Lucam cap 4 8.

Prou. 22.

Matt. 25.

Epiſt. 5. ad Theodo. lapſum.

Cõtrà verò qui in opere honeſto ſemper verſantur, vt à vitiis immunes ſunt, ita & magnam virtutum atque meritorum ſupellectilem paulatim conquirunt. *Quemadmodum* (ait Chryſoſtomus) *opes corporis accumulantur, quum amatores illarum ne minimum quidẽ lucellum negligunt: ita & ſpirituales diuitiæ.* Alioqui enim & *frigidum aquæ poculum mercede ſua non cariturum* promiſit veritas. Hic ergo diſpiciat cordatus Chriſti cultor, velitne otio, ac deſidia torpens,

Ibidem.

Matth. 10.

grauiſ

grauiſſimos ſibi æternæ pænæ cruciatus aſciſcere (quos ſocordibus acerrimè comminatur Chriſtus) & omnibus ſe flagitiis proſtituendum dare, omni ſe tentationi illudendum tradere: aut vel gloriosè dimicãs æternas coronas promereri, & id facere quod Chriſtiani muneris eſt proprium: vel aliquid ſemper agens, diuitem ſibi meritorum ſupellectilem ſaltem paulatim & longo vſu acquirere. Sanè vt omnium vitiorum altrix atque nutrix, omnium tentationum à quibus vincimur cauſa Acedia & ignauia eſt: ſic omnium virtutum atque meritorum parens & pretium, ſtudium, labor, atque induſtria eſt.

DIXI.

FINIS.

Has duodecim de ſeptem peccatis læthalibus orationes dignas eſſe ſentio quæ omnium paßim Chriſtianorum manibus terantur, vt peccatorum fæditate perſpecta, faciliùs declinent à malo, faciantque (Deo iuuante) bonum. 10. Octobris. 1596.

IAC. DV BAY, S. Theol. Reg. Louan. Profeſſor.

LVGDVNI,
Ex Typographia IACOBI
ROVSSIN,
M. D. XCIX.

3


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm